D. LUD. GOTFR. KLEINII
CONSIL. MEDIC. AC PHYS.
ERBACENS.

INTERPRES CLINICUS

SIVE

DE MORBORUM INDOLE, EXITU IN SANITATEM, METASCHEMATISMO, SUCCESSIONIBUS, EVENTU FUNESTO, DIIUDICATIONES, PRÆSAGITIONES MEDICÆ, PAGELLÆ IN MEMORIÆ SUBSIDIUM MEDICIS IUNIORIBUS AD INFIRMOS INGRESSURIS FIDELITER COMMUNICATÆ.

COMITATUR OPUSCULUM
PRÆFATIO
PERILLUSTRIS
L. B. ALBERTI DE HALLER,
M. BRITANN. REG. ELECT. BRUNSV. CONSIL. AUL. ET ARCHIATR. RELIQ.

Natura invenit ſibi ipſi vias, non ex cogitatione, & inerudita exiſtens, facit quæ expediunt. *Hipp. 6. epid.*

Sæpius natura novum opus exorditur, ubi conatus noſtri deſiere. *Bagl.*

Vias Medicis invias reperit αυτοδιδακτος natura. *Spon.*

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
IMPENSIS IO. FRID. FLEISCHERI,
MDCCLIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SACRUM
CELSISSIMIS ILLUSTRISSIMISQUE
S. R. I. COMITIBUS ERBACENSIBUS, DYNASTIS BREUBERGÆ RELIQ.

DOMINO
GEORGIO
GUILIELMO.

TOT IMAGINUM
PERANTIQUÆ STIRPIS JAM
SENIORI VENERABILI,
SALUTIS PATRIÆ CUSTODI
VIGILANTISSIMO.

DOMINO

GEORGIO AUGUSTO.

FRANCONIÆ COMITUM AC DYNASTARUM COLLEGII ILLUSTR.

NUNC

DIRECTORI GRAVISSIMO.

PATRIÆ PATRI INDULGENTISSIMO.

FRATRIBUS EX EODEM UTERO GERMANIS,

FRATRIÆ VIDUÆ HORUM AMATISSIMÆ. MATRONÆ SUI SEXUS ORNAMENTO.

DOMINÆ

ANNÆ SOPHIÆ.

GNATÆ VETERI BARONUM DE SPESHARD PROSAPIA.

MATRI OPTUMÆ.

TUTORI PROVIDENTISSIMÆ A SACRATISSIMO CÆSARE CONSTITUTÆ FRATRUM BIGÆ CONCORDISSIMORUM

DOMINO
FRIDER. LUDOV.
EGINHARDO
ATQUE
DOMINO
GEORGIO
ALBERTO
EXCELLENTIARUM ÆMULIS
PATERNARUM
IN SPEM POPULI EXOPTATISSI-
MAM STRENUISSIMIS, LAUDATISSIMIS.
GUBERNATIONEM SUBDITORUM
PROXUME CAPESSURIS.
DOMINIS SUIS
LONGE
GRATIOSISSIMIS,
ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ OMNI MENTIS SANCTITATE
ÆTERNUM DEVENERANDIS.

MAECENATIBUS LITERARUM
MAXUMIS
TENUE HOC ET EXILE NUNCUPAT
OPUSCULUM IN DECLARANDÆ
PIETATIS SUBMISSISSIMÆ
DEVINCTISSIMÆQUE
ATQUE
ANIMI OB BENEFICIA CUMULATISSIMA
GRATISSIMI
MONUMENTUM
SIMULQUE
REGIMEN PACATUM, VITAM OMNI
FELICITATE EXUBERANTISSIMAM,
FORTUNÆ FULGORES FLORENTISSMOS.
MANENTES,
PROSPERITATES INVIDIA ET ÆTATE
MAJORES
ATQUE
INDE POPULO SIBIQUE TUTELAM, ANCHO-
RAM, TOTA COGITATIONE, ANIMI
AFFECTU ARDENTISSIMO, IN GER-
MANUM MODUM, PRECATUR,
OPTAT, EXORAT,
ATQUE
SE, SUOS, SUA STUDIA PIISSIMO
PECTORE HUMILLIME
COMMENDAT

Cliens ſubjectiſſimus

AUCTOR.



Lecturo S. P. Auctor.



Excellentiam, auctoritatem, exiſtimationem, admirationem divinæ vix aliud quidquam magis ſplendidam, illuſtrem atque momentoſam fœnerat Medicinæ Prognoſticâ. Ισοθεοι enim tanquam,

hancce doctrinam naviter callentes Medici prænoſcunt, prævident, prædicunt futura in ægrimoniis. Quanti honoris laudisque deportavit ferme mirabilis Galenus, quum Eudemo Philoſopho, Sexto idem Romano Senatori, aggreſſuræ febris genium, criſeos ſpecialis diem, & huic quoque inſuper tempus exactum; quod certe admirabilitatem facit magnam, recurſus, tandem plenariæ antediceret diem deſtinatam valetudinis? Θεια!

Scho-

Scholæ apud Coos, quæ floruit Medicæ, & ex qua inſpiratus quaſi Vates fuit Hippocrates, codices curatius ſi revolvimus, tanquam è tripode pronuntiatas legimus de ſalute morteve ægrotantium prædictiones, deque longitudine, brevitate, indole, reditu morborum divinationes. Negligitur aſt proh dolor! aut vilihabetur præcellens hæc pars à multis noſtra hacce memoria, vel incuriæ vel ignorantiæ vitio occæcatis. Ab ægrotantis ubi recedit Medicus lecto, aſſiſtentes curioſi mox

de motbi exitu præſagia, perinde ac certiſſima expoſçunt, expectant oracula. Acutus ſagaxque ſi eſt Clinicus, famæ fortunæque ſuæ feliciſſime hinc conſulit; ſecus, exiſtimationis ſuæ incurrit periculum atque diſcrimen; hic enim tanquam judex ſecundum acta & probata de morbo ſententiam dicat, ferat, deſideratur. Perbene itaque diligentiſſimus Obſervator, PROSPER ALPINUS *in de præſ. vit. & mort. ægrot. p. m. 3.* effatur: Juvat quin etiam maxime Medicos: In morbis acu-

acutis exitialibusque, qui præcognitam futuram ægrotantium mortem ubi aſſidentibus prædixerint, mortis culpa plane vacare ſolent, ægrotosque audito prognoſtico non Medicorum culpa, ſed morborum vi interemtos, aſſidentes judicant. Quodſi antea exitium non prædixerint, ipſorum aut ignorantiæ aut negligentiæ mortem omnes adſcribunt, interiiſſeque Medicorum cauſa pro certo habent. Hactenus Ille. Aſt haut opinandum ſemper & ubique ſic vere perfecteque incidere, quæ

divi-

divinata ſunt. Conſiderentur individui idioſyncraſia, temperamentum, conſuetudo, tempeſtas, regio, medicatio, regimen, aliaque momenta. Ex multitudine caſuum & obſervationum, vel à potiori, ut ajunt, aut utplurimum eveniente naſcitur, deſumitur prædictio. Et conjecturæ manet circumſpectæ, probabilitati, ſuum ſpatium; quod cum Theologis atque JCtis commune habent Medici. *Εκ μερȣς γαρ γινωσκομεν, και εκ μερȣς προφητευομεν.* Neque id evitare humana imbecilli-

cillitas in tanta varietate corporum poteſt; conjecturæque ratio talis eſt, ut cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat; nec, ſi quid vix milleſimo in corpore decipiat, id fidem non habeat, quum per innummerabiles homines verum conſtiterit.

Nata ſunt ex lectione ſtudioſa, ex obſervatione aſpera, indefeſſa fidelique atque rei facto prodiere, quæ habeo, dico, publico. Quatenus enim nobis denegetur diu vivere, relinquam

quam aliquid, quo me vixiſſe nec απρακτον fuiſſe, teſter. Ordinem ſervo alphabeticum uti exprimunt, quo indice caream. Morbos conjungo germanos, propinquos. Primoribus in locis adpono ſparſim Auctores, ipſiſſima eorundem plerumque dicens verba, mea intermiſcens; ſicque, qui volui, compendioſus fio atque apertus. Paucula præpono generalia. Scribo fide medica probaque pietate, qui meliora habet, eodem det animo.

Si

- - Si quid novisti rectius
istis,
Candidus imperti: si non, his
utere mecum.

Liberam profiteor Medicinam, nec ab antiquis sum nec à novis, utrosque, ubi veritatem colunt, sequor, magnifacio saepius repetitam experientiam.

B. L. ubi hae placuerint pagellae uni alterive, valde mihi gaudeo, gratulor, masculeque laborabo, quo Numine Propitio Duce, olim succedant Co-

dicilli

dicilli Practici eorumque rationali, cotidianae Praxi superstructam veritatem firmantia, non trivialia Observata, per Decades evulganda. Breve enim & efficax per exempla iter est. Ceterum vale B. L. me cupe, me utere atque voluntatis TUÆ inclinatione in me propende Fautor. Scr. Erbaci in museo Nonis April. 1753.

Gene-

LECTORI SALUTEM

A. DE HALLER.

Destinaveram longiori Epistola commendationi operis KLEINIANI. Neque deerant, quae in laudem instituti ejusmodi, aut ad historiam similium librorum dici possint. Verum rerum mearum ratio, eo ipso tempore, quo oportuisset hoc defungi officio, avocavit me in patriam, in qua non labores adeo, sed omni labore magis dispendiosa ocii salutatio veterum amicorum & cognatorum, rei publicae denique solennia negotia me ab omni spe serii laboris avulserunt.

Et erat tamen ſtandum promiſſis, quorum hactenus tenax fui, neque unquam dedidici promiſſores illos DOSONIS diſcipulos, qui crudeli facilitate amicos ſopiunt, efficiuntque ne certioribus auxiliis res ſuas expediant, donec occupati a calendis cum rubore ſuo cogantur ſolvere ſe religione datae fidei.

Ne in idem, quod hic accuſo vitium prior incidam, mature cauſas negligentiae meae indicare feſtino, quae ſunt ejusmodi, ut nulla mea certe diligentia ſuperari potuerint. Neque ideo deero officio illaudatumque dimittam libellum, qui in ſua brevitate magna rerum momenta continet.

Uſus

Usus est Cl. KLEINIUS & antiquis & novis Scriptoribus ab ipso retro Galeno & Hippocrate ad novissimos nostros Medicos, WERLHOFIUM Archiatrum, Collegasque nostros. Decerpsit de ea varietate auctorum ea brevia effata, quae historiam signaque morborum & praesagia tradunt, monenturque clinici, quibus cum phaenomenis aut in tuto res aegri sint, aut maligno loco positae. Ipsa mediocritas molis facit, ut ad manus esse curantis Medici, atque ab eo, etiam in re ipsa versante consuli queat. Multa enim in plenioribus operibus, ad historiam, eruditionem, litigiosa placita, hypotheses ornandas singulares casus pertinent, quibus facile caret operosus in curando

rando Medicus. Noſter autem Auctor ea fere ſelegit, quae ad modum aphoriſmorum HIPPOCRATICORUM corollaria ex numeroſis eventibus concorditer deducta continent, in eo ad opus ſuum aptior, quod ipſe in aegris ſanandis occupatus ſeria à doctis diſcernere didicit.

Laetus ergo atque confidens libellum commendo, tironibus quidem clinicis inprimis ſcriptum, non tamen inutilem etiam provectioribus, & qui totus absque cortice nucleus eſt. Bernae Helvetiorum die 25. April. 1753.

Generalia quædam.

1.) Pauci morbi chronici fiunt per consensum. 2.) Libera transpiratio debilem facit corporis constitutionem, sed salubritate compensat. Difficilior contra, robustiorem naturam, sed ad morbos procliviorem. 3.) Si color corporis alius ex alio sequatur, longitudinem morbi significat. 4.) Ex hypochondriis, respiratione, lingva, gingivis, oculis, ungvibus &c. fere primaria simul sumatur prædictio. 5) Is habetur optumus ægroti decubitus, qui bene valentium similis est. 6.) Symptomata junctim sumta demum morbum declarant. 7.) Dandum aliquid regioni, ætati, tempori & consuetudini. 8.) Sunt quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quidquam in futurum præsagiri potest. 9.) Si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. Pejus tamen signum est, ubi aliis contra consuetudinem emacuit, & colorem decoremque amisit. 10.) Nullum paucum criticum est. 11.) Morbi habituales sunt refractarii, diuturni & facile recrudescentes. 12.) Morbi hæreditarii, nisi præscindantur, jam propagati, omnem respuunt curam, & imperitius excepti, vel longe ferocius insurgunt, vel graviores subeunt anomalias. 13.) Quot dies principium morbi acuti duravit, totidem & augmentum ac status durant. Et quale principium ratione vehementiæ vel levitatis, talia quoque reliqua tempora. 14.) Quæ paribus vel imparibus diebus exacerbantur febres, iisdem quoque judicantur, vel ad salutem vel interitum. 15.) Crises humoris meri & sinceri pessimæ. 16.) In chronicis morbis si facies naturalis sit & boni coloris, nunquam crede adesse obstructiones in visceribus. 17.) Rigores inanes i. e. sine evacuatione critica, translationem afferre solent symptomaticam. Et si fractis jam uiribus, inanes, letale. 18.) Genius cujusvis morbi acuti non semper unus idemque est. 19.) Certior de sanguinis statu indago aliunde non hauritur quam ex lingua. 20.) In ægris morituris nonnullis ante mortem diebus exhalat ab eorum corpore fœdus quidam & quasi cada-

verosus odor. 21.) Membranarum morbi magna ex parte periodici sunt. 22.) Morbi periodici facilius præcaventur quam curantur. 23.) Insignes Lunæ mutationes utplurimum criseos decursum alterant atque perturbant, maxime in malignis. 24.) Periodos assumunt tusses, asthmata, morbi erysipelatodes, phlegmonodes, rhevmatici, hemicranici, ophthalmiæ, odontalgiæ, arthritici, hæreditarii. 25.) Morbi corrupti novos sæpe & incognitos morbos mentiuntur. 26.) Lunares phases vim exerunt in vitiis visus & auditus, paralysi, deliriis, mania, melancholia, convulsione, epilepsia &c. 27.) Et in foro Medico locum habet illud ICtorum: Accessorium sequitur suum principale. 28.) Optima facies est in ægris, quæ sibi ipsi similis est. 29.) Indicatoriæ non iudicantes pessimæ. 30.) Si quis ea faciat, quorum sit insolens, gravissimum habet malum. 31.) Omnis, excretio critica quæ inchoatur tantum, non perficitur, maxime damnanda. 32.) Verpa in- & post morbos reviviscens, caputque laudabiliter rursus extollens, prosperum cum aliis bonis signis præbet reconvalescentiæ criterium. 33.) Morbus morbo sæpenumero tollitur. 34.) Unum ex multis signis pravum, multis bonis in necando plus virium habet, quam plura simul bona in liberando. 35.) Morbi congeneres facile in se invicem commutantur. 36.) Quibus crisis fit, his nox antecedens gravis est, subsequens vero levior plerumque. Insuper ægrotantis animus anxius admodum atque dubius est, æstus fit intensior, vigiliæ acutæ instant, accedit horror. Hæcque post notas concoctionis salutem promittunt, substante cruditate perniciem minantur. 37.) Nil est, quod tutius perfectæ crisis argumentum præstet, quam si somnus subsequatur. 38.) Effusæ in principio excretiones malæ sunt; Nullæ in statu, pari passu ambulant. 39.) Perfectæ criseos defectum subinde supplet abscessus. 40.) Omnis recidiva est sontica & periculosa. Recursus repetiti in morbis haut adeo periculosis valde fiunt periculosi, maxime si labes subsit visceris nobilioris.

Abortus.



Abortus. Hæmorrhagia uterina gravidarum.

Ad abortum proclives ſunt hyſtericæ, menſibus largis, anomalis obnoxiæ, otioſæ, ſucculentæ, pinguiores, laute viventes, natura imbecilles ac ſenſibiles, matribus ad abortum pronis procreatæ, nephriticæ; & contra, robuſtæ, plebejæ, minus pingues, laborioſæ, animi affectibus non indulgentes, quibus per priores prægnationis menſes ſanguis ex uteri vagina profluxit, quæ odontalgiis, defluxionibus tuſſiculoſis, nariumque hæmorrhagiis ſubinde expoſitæ ſunt. Reliquiæ placentæ & hinc natæ molæ diſponunt ad abortum. Alvi obſtipatio multum facit ad abortiendi conamina, hæreditaria item diſpoſitio, puerperium antecedens malum, fluor albus inveteratus, conſuetudo, tempeſtas vitioſa.

Propenſio illa ad frequentes abortus, molas, & paucis ſæpe menſibus ſeſe excipientes, inde pendet, quod prius concipiant rurſus, quam ita per temporis rationem purgamenta prioris ab-

ortionis penitus evacuata ſint. *Werlh:* Plus negotii abortus quam maturus partus exhibet. Si inſolita animi dejectio hæmorrhagiam præcedit ingentem, ſi ſponte mammæ marceſcunt, aut lac ▽ſum emittunt, ſi febre rapiuntur acuta, ſi latera ſuperque venter arctantur, lumbi coxaeque gravitatem inſolitam habent & pigre moventur, ſi ventrem, pubem ac dorſum tormina, torſiones, labores cruciant, ſi rigor aut horror per vices recurrit, ſi embryonis motus, qui fuit, defit, ſi ▽æ profluunt variæ, ſanguineæ, grumi cruoris, ſanguis ipſe, abortum inſtantem tuto prædixeris. Abortus omnis eſt periculoſus, eo magis, ſi fetus jam eſt adultior, mortuus, male poſitus, ſi ex parte computruit, ſi mola ſimul, ſi febri acutæ ſupervenit, ſi mulier primipara & inaſſueta, ſi animi deliquia, convulſiones præſto, ſi femina ſenſibilior, affectibus animi patens, hyſterica. Ex vei in abortu convulſæ raro evadunt. *Aret:* Recidivæ ſunt faciles, unde reſultant cachexia, ſterilitas, ad dies vitæ tumor ventris ingens, malum hyſtericum, varia molarum generatio, uteri exulcerationes, excreſcentiæ fungoſæ, carcinomata, menſium ataxiæ, decoloratio, uteri prolapſus, fluor albus, hydrops uteri, ſcirrhus, urinæ incontinentia, levcophlegmatia, hæmorrhagia uteri, mania, melancholia. *Zac. Luſitan.*

Tenerioris compagis mulier magis periclitatur quam obeſa ex abortu, & tantisper abortit, donec facta ſit habitior. *Hipp.* Fetuum adultiorum abortus præſagit ſucceſſuram ſterilitatem. *Carl.* Mulieri uterum gerenti, ubi teneſmus ex morbi

morbo gravi vel diarrhoea multa supervenit, eandem plurimum abortire facit. *Hipp.* Abortientes, si fetus parum fuerit maturus, & illæ mox iterum concipiant, plerumque circa idem tempus, sive eandem gestationis hebdomadem, denuo abortu tentari solent. Abortus nunquam facilius succedit ac à violentia externa, atque in terminis menstrui fluxus alias suetis. Si australis hiems & pluviosa & tepens fuerit, ver siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, facili occasione abortiunt; unde abortus illi epidemici. *Hipp.* Abortum plerumque major sequitur cruoris fluxio, quam partum absolutum terminis suis. Abortiva non dantur, nisi respectiva. Interdum per aliquot septimanas, aut per mensem fit ▽*arum* ex ♀*o* effluxus immaturus, quod periculosum est, metus enim est, ne fetus moriatur; Hoc vero aliquando etiam evenit citra ullam noxam. Si placenta avulsa & os uteri apertum, fit hæmorrhagia; Si sanguinis vero tantum adest stillicidium, fit ex vaginæ vasis tantummodo. Si grandior intus vena rupta vel patefacta, cruor profuse effluit; si minor, paulatim nec multus fertur; si ex erosa, paulatim & cum dolore manat. Si in gravidis solvitur placenta, fetus tamen non exit, hæmorrhagia exoritur sæpius numero insuperabilis, ni manus auxilium ferat eundem educendo. Hæmorrhagia ex utero si statim primo mense, tempore alias catameniis destinato, instat, & placide quidem, nil habes metuendum; si vero 2. 3. 4. demum, tunc vigila. Et contra, si confertim fluat & cum im-

petu purpura. Quo immaturior abortus à tertio menſe exiſtit, eo gravior hæmorrhagia excluſionem illius ordinarie comitatur. Ubi ſanguis copioſe jam profluxit, ibi abortus nulla ratione impediri poteſt. *Junck.* Hæmorrhagiæ quæ poſterioribus graviditatis menſibus excitantur, facilius revertunt, quam ſi prioribus evenere. Dantur fluxus ſanguinis periodici, modici, ex muliebribus, qui legitimum fetus incrementum ac partum maturum nil impediunt, & ad ultimum protracti menſem; idque plerumque ſtato alias tempore menſium; & contra *nimii*. Ubi ſemel ſub graviditate hæmorrhagia ♀i evenit, ex leviſſima ratione ſub eadem recrudeſcit. Ni ex fluxione ſuccedat abortus, inter uterum & placentam remanet grumatus cruor, facillime recidivam invitans, inſtar cunei enim ſe interponit. *Rigores*, ex quibus hæmorrhagiæ ex abortu mox ceſſant, damnabiles. Præſagiunt ut plurimum acutam inflammatoriam, facile quoque purpuram pernicioſam.

Alvus obſtructa.

A frigore pedum alvus obſtinatior ſolvitur. *Gal.* Alvus dura ſolet eſſe iis, qui nimium facie rubent. Alvus adſtricta ſanguinem humoresque ad ſuperiora pellit, hinc ſemper exacerbat capitis morbos; contra alvus lubrica. Alvo obſtipata capitis pruriginem, intolerabilem fere, notavi, illa fluxa vero ceſſantem ſemper iterum, idque longinquos per annos. Senes alvus ſtricta juvat, juvenes fluida. *Hipp.* Quibus

in juventute alvus est humecta, iis in senectute siccatur, & contra. In vehementibus articulorum doloribus alvus supprimitur. Si alvi obstructio cum torpore artuum, de paralytode metue intestinorum. Ubi post dysenteriam gravem pertinacissima inhæret, cogita de coalitu vel excrescentia quadam præcludente. Ex alvi suppressione elata hypochondria, malum denunciant, maxume in febribus. Quantum à perspiratione solita adimitur, tantum ad alvum lubricandam adjicitur. Qui alvum habent sicciorem, nunquam se mane studiis adplicare debent, sed foras procedere, vult enim moveri alvus segnior. Obstructo inferiore ventre in universum corpus flatus discurrunt. Induratæ fæces maxime in coli angustiore parte, in sinistro hypochondrio sito, graves creant molestias, quin lienem affectum falso mentiuntur. Alvus pertinax morborum chronicorum mater. Pertinacissima inveterata cum excrementis induratis & albicantibus, defectuque nutritionis, obstructionem glandularum mesenterii, intestinalium atque biliferorum ductuum significat, ni visceris labes subsit, adhuc medicabilem. Quæ ex solidorum vitio inemendabili, sarcomate intestinorum grandi, angustia p. n., coalitu, v. g. post dysenteriam, arti eludit.

Anchylosis. Fungus articulorum.

Anchylosis incurabile malum est, si a callo, exostosi, articulis diffractis, tendinibus musculorum articulo accretis, si à podagra, ar-

thritide, iſchiade, hemiplegia, maxime poſt topicorum imprudentem uſum. Difficillmæ curationis eſt, ſi à fungo articulorum recenti, ſi à liquore glandularum Haveri inſpiſſato & vitiato, ſi à ligamentis, tendinibus rigidis, contractis, & ſi inveterata. *Buchn.* Major reſtat ſpes, ſi per metaſtaſin inducta, maximeque in junioribus; Si recens, & ex axungia diuturniore quiete aliquatenus inſpiſſata tantum; ſed protractiorem vult curam. Excitantur aliquando in parte puſtulæ cum ſalute humorem fundentes. Si invaleſcit noxa, tandem moriuntur macie, lenta, hectica, tuſſi ſicca, quandoque convulſionibus. Malum frequens in genubus eſt metallicis, qui, iisdem, quibus ſaxum frigidum contingunt, nixi, opus faciunt. *Platner.*

Fungus articulorum recens adhuc parumque grandis ac durus qui exiſtit, haut raro reſolvitur, & contra, à ſolo ferro ſalus petenda, ſed tamen & hæc incerta, tumor enim pluries redit. Suppuratio difficilis & plurimum periculoſa eſt, ſiquidem caries facile aut fiſtulæ inſanabiles per illam excitantur, quæ manus auxilium poſcunt.

Anevrysma.

Anevrysma internum incurabile eſt, ruptum ſubito interficit. Interni ſuſpicionem movere poteſt pulſus valde inæqualis, atque ſi in pecto-

pectore, ſpirandi difficultas cum anxietate inſueta. Anevrysma verum frequentius in interioribus ſedibus eſt, ſpurium crebrius in artubus. Verum non tam celeriter adoleſcit. Externum verum ubi manui locus non eſt conceſſus, tolli non poteſt, ſed increſcit donec rumpatur cum hæmorrhagia emortuali; Acceſſum, recens, curabile eſt; difficillimum, ubi obcalluit, diffuſum & vaſtum eſt. Si ad collum, ſtrangulare ſolet. Intolerabili dolore aliquando perimit. Non raro gangræna & ſphacelo necat. Interna frequenter in iis occurunt præ ceteris, qui inunctione ☿li imprudenter protracta nimis vel repetita pluries uſi ſunt. Spurium celerius finitur, in quo proxumus gangrænæ metus eſt, ſolumque protinus auxilium in manu. Spuria longe periculoſiora ſunt veris. Hæc enim diu, & quandoque ad vitæ finem tolerantur, ſi non adeo magna, ſine graviori moleſtia & periculo, præſertim ſi congrua utantur faſcia. *Heiſter.* Evenit, ut ruptum, ſponte deſinente ſanguinis fluxu, evaneſcat anevrysma, ſed rariſſimum plane eſt obſervatum. *Moinichen obſervat.*

Angina. Faucium morbi alii. Hydrophobia.

Cynanche i. e. ſine ullo ſigno conſpicuo exiſtens, graviſſima eſt, haut raro intra 24. horas, vel die tertia necat, pulmone ſuppurato vel gangrænoſo. Succedit hæc morbis chronicis vel ingentibus evacuationibus, vel ſubito ori-

tur ex malignitate. Angina ſymptomatica præceps eſt, ac intra d. 4. primos ſatis periculoſa utique exiſtit; ſed periculoſior, ac vix non funeſta circa dies criticos contingens, idque tanto certius, quo majore infarctu & linguæ tumore ſeſe exſerit. Angina inflammatoria præceps diſcuſſionis ſpem admittit, lenta communiter tendit ad ſuppurationem. Significatur ſuppuratio in angina, ſi inflammatio jam per aliquot dies duravit, reſolutione non facta, ſi ſymptomata non graviora fiant, ſed pertinacia tantum, ſi in faucibus videatur tumor ſubalbus, mollis, leviter calens, & dolens. Abſceſſus ad extra ruptus ſuffocationis periculum declinat. Si materies purulenta ad pectus defluit, peripnevmoniam, φθίσιν, creare valet.

Exitii notæ ſunt: ſi ex aliis inflammatoriis morbis ἐπιγενέσει nata; ſi eryſipelas per anginam in pectore exortum, ſubito rurſus intro revertit; ſi neque in collo neque in faucibus quidquam apparet; ſi malo æque violento manente absque ulla ſignificatione, dolores ad caput prorepunt; ſi collum repente pervertitur febricitanti, ut vix deglutire queat, nullo in faucibus exiſtente tumore; ſi ſputa viſcida, exalbida, ſubarida, vi educta, cum lateris dolore; ſi tumores, dolores anginoſi, linguæ itidem, præſentes qui fuere, absque ratione ulla evaneſcunt; ſi poſt evacuationes ingentes accidit; ſi ex angina peripnevmonia, unde inſolita pectori gravitas et vehemens tuſſis, intraque 7. dies interitus obvenit, vel minimum ſuppuratio aut tubercula pulmonum ſequuntur,

niſi

nisi pituitosa sursum educantur; si spiritus una sublimis excruciat.

Bona signa sunt: copiosa sputa, libera, flava, crassa cum strigmentis sanguineis; talis alvus, urina, criticis diebus; hæmorrhagia, fluxus hæmorrhoidalis; si dolor auribus superveniat; si cum faucibus pectus, cervix, collum rubeat, tumeat, & inflammetur, licet diuturnius esse malum sueverit; si saltim deglutire bene nequeunt. Ex angina citra crisin hypochondrii dolor cum torpore insidiose occidit, etiamsi valde modeste habere videantur.

Solvitur angina sudoribus, urinis, hæmorrhagia, hæmorrhoidibus, menstruo fluxu, purpuracea efflorescentia, & illâ remanente vel regressa sæpe fit; solvitur diarrhoea mucida, purulenta, cruenta. Mucida, catarrhosa finitur exscreatione pituitæ, viridis, tenacis, pluries; ptyalismo hæc porro.

Si ex angina ad pulmones versa suborta est dementia, ex his nonnulli suppurati plerumque evadunt.

Mortis signa sunto: spuma ante os, lingva tumida, purpurea, extremorum frigus, orthopnoea, stertor, hiatus oris, linguæ emissio, viror vel nigredo in facie cum oculorum diminutione, vox catullina, præcordiorum anxietas cum pulsu duro & convulsivo. *Boerh.*

Angina ulceribus per corporis corticem sparsis comitata in ætate provectioribus tabem plerumque post se trahit. Semel anginosus sæpius eodem facile corripitur morbo.

Migra-

Migratio arthritidis in anginam nota eſt, & contra; maxime in ætate vigente.

Tumores internarum oris partium ſeroſi optime ſolvuntur plurima continuaque ſalivatione. Vehementer dolentes fauces absque tumore cum labore & moleſtia, præceps exitium minantur.

In angina crebro revertente inquire etiam an cartilaginis ſcutiformis proceſſuum ſubſit dimotio. *A. N. C.*

Fauces exulceratæ cum febre, grave aliquid portendunt.

Tonſillarum ac uvulæ tumori quandoque accedit ptyaliſmus criticus. Uvulæ laxitas à ſcorbuto raucitatem perennem excitat, ac tandem vox ſenſim perit. Uvulæ tumor turgeſcens periodicus obvenit & in hyſtericis. *Kramer.* Arcanus eſt conſenſus faucium cum verendis; teſtatur lues foeda. Tonſillarum tumor & inflammatio cum deglutiendi difficultate, raucedine, oculis cavis, & Hippocratica facie, poſt febres diuturnas, & in quibus evenere largæ evacuationes, mortem certo imminentem præmonſtrant.

Hydrophobia aliquando jungitur inflammato ſtomacho. Sine contagio animalis rabioſi, ſponte in acutis aliquando ſuboritur rabies hæc. *Lentil.* Non omnes demorſi fiunt hydrophobi; Quo circa ſpecificorum laudibus quid detrahendum.

Nullum venenum tam atrox ac rabioſi animalis. Pejus inficit bilioſos, mitius pituitoſos & hydropicos. *Boerh.* Virus ab animalis morſu vel 30. annos, quaſi in corpore compreſſum,

latere

latere poteſt, antequam ſe manifeſtet. Tandem ex improviſo atrociter advenit, ut ægrum intra paucos rapiat dies. *Hild.* Signa hydrophobiam poſt morſum prædicentia ſunt: anxietas, triſtitia, iracundia, ſomnus ſuſpenſus & turbatus, ſtomachi gravitas, oſcitatio, pandiculatio, inſueta querela de ære quamvis ſereno, pauca bibendi voluntas. Quo plus ſanguinis è vulnere effluxit, eo melius.

Ubi hydrophobus ▽*æ* immerſus vel eadem obrutus, animo linquit, poſtquam ad ſe rediit, ▽am ſine horrore poſthac tolerare poteſt.

Hoc morbo oppreſſis ſpes in anguſto eſt; certa vero deſperatio, ſi is præſens invaluit. Obeunt hydrophobi ſub multa convulſione, ſpiritu frigido, ſtrangulati, quarto circiter die. Venenoſa rabies morſu irati hominis æque infertur aliquando.

Hydrophobiam ſine præcedente animalis morſu ortam in famem caninam tandem ſolutam funeſtam; item, omni mode delirii expertem notat *A. N. C.*

Evenit ſubinde hydrophobia ex morſu beſtiæ non rabidæ letalis, tantum iratiſſimæ; item, ex gravi animi affectu ac imaginatione, v. g. in hyſtericis, ſubnaſcitur. Refertur juvenis, qui poſt vehementem indignationem proprium ſibi momordit digitum & inde hydrophobus factus eſt. *A. N. C.*

Aphonia.

Aphonia & vox rauca haut raro prodromus convulſionum epilepticarum eſſe ſolet in

colica

colica. *Bagl.* Aphoniæ & voces raucæ in acutis indicant biliosam causam. Aphonia in acutis critica est, à qua optuma fit evacuatio, nec diu durat; & contra, letalis est. *Hippocr.* Febri continuæ accedens, hæmorrhagia & vomitu aliquando tollitur. Cum virium exsolutione in acuta febre, sine sudore, sunt quidem letales, cum sudore vero minus, ac diuturnitas significatur. Periculum in his hæmorrhagia & alvus fluxa. Aphonia & voces vitiatæ, ut tremula, stridula, clangosa &c. in acutis malæ, maxime in phrenesi & ardentibus. Aphoniæ cum exsolutione virium, cum stupore, rigore, convulsione totius corporis, cum delirio, aliisque symptomatis gravioribus, omnes pessima, perniciosæ ac mortiferæ. Quibus in febribus voces post judicationem deficiunt, ii tremore ac sopore correpti, intereunt.

Aphonia *in* gravidis post partum cessat. *Comm. lit. Noric.* Aphoni nonnunquam redduntur ventriculo ab aliquo humore vel vermibus obsesso ac læso, quibus aut sponte aut arte exclusis, liberantur. *Alpin.* Aphonia ex hæmorrhagia narium non succedente, eadem instante solvitur.

Curabilis est quæ ex vermibus, in passione hysterica, ex eruptione mensium difficili, defluxionibus catarrhosis, exanthematum regressu, sub salivatione ☿li, in variolosis. Quæ ex apoplexia, raro curam recipit, vel si etiam admittat, facile recidivat. Quæ ex linguæ paralysi, immedicabilis fere est, sanata facile redit, indicitque apoplexiam. Tremores solvunt aphonias ex rigore concitatas. Quæ ex vulnere vel

lapsu,

lapſu, non perpetuo ſunt perniciales. In melancholicis & maniacis hæmorrhagia aliquando aufertur. Aphoniam quadriennem ſomno terrifico ſolutam narrant *Tranſactiones Anglicanæ.* Si ebrius repente obmutuerit, convulſus moritur, ni febris juvet. *Hipp.* Letales ſunt, quæ cum vehementi delirio, aut in delirium vehemens deſinunt, aut à vehementi delirio ſequuntur. Æque, quæ cum ſpiritu ſublimi, vel brevi etiam. Porro, quæ ex convulſionibus ab inanitione ortis, pariterque quæ cum ſingultu contingunt, tandem, quæ cum angina; Quæ denique cum catoche & exſolutione virium, eæque aliquando tabem denunciant; ultimo, quæ ex capitis dolore. *Alpin.* Aphonia in convulſionibus multum perſeverans, malo eſt. Solvi poteſt urinis copioſis, confertim ac derepente prodeuntibus. Quæ ex copia humorum perpetuo letales non ſunt, ſi virium robur adſit, & contra. Hæc aliquando evenit in principiis febrium. Aphonia ex arthritide retrogreſſa difficilis eſt. Quas ſequuntur urinæ copioſæ non ita malæ cenſeri debent.

Aphthæ.

Aphthas futuras in morbo cognoſcimus ex ſopore & ſingultu; ſi toto morbi decurſu non dormivere, in ſoporem labuntur, & tunc ἄφθαι prodeunt. Singultus accedit, ſi ſunt ex ventriculo, & tunc plerumque ſunt deteriores. Peſſimæ enim ſunt quæ ex ſtomacho aſcendunt, quæ cum magna vexant inflammatione, ſpirandi

di & deglutiendi difficultate, & hæ in morbis malignis funeſtum prænunciant eventum. Peſſimæ præterea, quæ aſſiduo refectæ, erodentes, flavæ, fuſcæ, nigræ, opacæ, cruſtoſæ, lardoſæ quaſi, fœtidi odoris; hæ quidem gangrænæ nuntii. Bonæ ſunt, quæ tenues, molles, facile cadentes, ſine conſtantia, ſuperficiariæ, indolentes, ſparſæ, ſolitariæ; optimæ, quibus color albus, pellucidus inſtar margaritarum. *Boerh.* Si ab externa potius cauſa, quam interna, minus alunt periculi. Quæ febribus acutis ſymptomatice junguntur, periculoſæ ſunt; Quæque tunc magis flaveſcentes eſſe ſolent. Ventriculo inflammato facile ſociæ ſunt, omine malo, maxime ſi in elatiorem cruſtam degenerant. Tabidos ac phthiſicos multoties excruciant, augurio fatali. Si ulcera profundiora, aut putredinoſa ſuccedunt, difficilis eſt curatio, & in pueris periculum, ob carnis mollitiem, depaſcunt enim eo magis.

Apoplexia. Hæmorrhag. Cerebri.

De doloribus in cervice ſerius aut citius ante inſultum apoplecticum conqueruntur omnes. *Kramer.* Apoplexia velociſſime viget, & breviſſimum, imo imperceptibile habet principium & augmentum, ita ut tota ſtatus eſſe videatur. Apoplexiæ maxime obveniunt ab anno ætatis 40. ad 60. *Hipp.* Futuram prædicunt vacillatio, tremor, vertigo, ſcotomia, ſtupor, torpor, ſopor, oblivio, memoria vacillans, tinnitus aurium, incubus, inflatus faciei, reſpiratio profun-

dior

dior cum naribus compreſſis, dentium ſtridor in ſomno, ſubita linguæ impotentia, eaque ſæpius recurrens, ſubitus & peracutus in capite dolor, difficilis inceſſus &c. *Boerh.*

Obeſi & pingues difficilius laborant.

Aſthmatici, cachectici, polypos gerentes cordis, ad apoplexiam proni ſunt.

Apoplectici plerumque duplo plus, quam ſani ſolebant, comedunt ac digerunt. *Brunner.* Apoplexiæ vel paralyſi obnoxii aut correpti, inflationibus ventris, borborygmis, vehementer vexantur. *Bagl.* Qui ab apoplexia liberati, poſtea levi de cauſa & ſine occaſione lacrymantur, ac moerent, malum hoc eſt, & recidivam vocat; Idem timendum, ſi prius correpti, denuo vertiginoſi fiant. *Bagl.* Semel ſanata intra triennium fere letaliter recurrit. Raro apoplectici evadunt ſine partis alicujus reſolutione. Semel apoplectici rariſſime alio deſciſcunt è vita morbo, quam hujus recurſu vehementiore. Omnes qui apoplexia moriuntur, ſuffocati intereunt. In exquiſita raro 7. diem tranſeunt. *Boerh.* Migrat in paralyſin, epilepſiam, melancholiam. Oblivio poſt apoplexiam peſſima. Si ſuperveniat apoplexiæ gutta ſerena, plerumque ſignum mortis eſt, vel vehementiæ morbi. Quo fortior pulſus in apoplectico, eo pejor, idque maxime in jugularibus. *Rhodius.* Pulſus ex parvo ſenſim in magnitudine creſcens, malum, brevique moriuntur. Quo magis offenditur reſpiratio, eo pejus. Refrigerationes & torpores in apoplecticis malum denunciant ſtatum. Apoplexia re-

pente oborta solubilis; adveniente lenta febre mortifera est. *Duret.* Symptomatica, v. g. ex arthritide retrograda, ventriculo, pluries & facilius curatur, contra idiopathica. Vehementior plane non, debilior difficulter curatur. Febris superveniens, acuta ephemera, ab initio apoplexiæ serosæ eandem solvit; morbo progresso, pessima. Tertius dies longissimus est moriendi terminus in apoplecticis acutissimis. *Aurelian.* Apoplexia levis & sanguinea curatu quidem facilior est, ast sæpius revertitur, tandemque in ipsam cerebri hæmorrhagiam, quæ omnium fluxionum cruentarum est periculosissima, terminari solet. Apoplexia verminosa medicabilis est. Lenior apoplexia solvitur superveniente sudore multo, æquabili, rorido, calido, levante; urina multa crassa; hæmorrhoidibus largis, diu fluentibus; fluxu menstruo restituto; alvi fluxu; febre magna. Paulo gravior, superata causa, solet degenerare in paralysin alicujus partis musculosæ, totius lateris unius vel omnium cervici suppositarum; quæ raro curatur, semperque memoriæ, judicii, motuum læsiones, relinquit; unde soporosi, hebetes, tremuli, vertiginosi, pusillanimes, remanere solent. *Boerh.* Spes est salutis, ubi post V. S. & congrua auxilia intra 24. horas sequitur levamen, & symptomata remittunt, facies nempe adparet magis naturalis, respiratio fit liberior, non valde inordinata, non admodum violenta est, ac pulsus bene se habet; ubi lotio injecta intra horæ spatium redditur; si lacrymæ ex oculis bene coloratæ; si salivatio multa

instat

inſtat; ubi mucus è naribus fluit; ſi æger ſternutat; ubi morbus in paralyſin degenerare incipit; ſi ſumta pocula non per nares aut os refunduntur, ſed penitus deſcendunt; ſi acriter vellicatus palpebras movet, & labia quodammodo comprimit; ſi partes quædam errante ſubſultu agitantur. *Hoffmann.* Peſſima hæc ſigna: ſtridor dentium, ſpuma circa & ante os, ſudor tenuis, frigidus, reſpiratio ſtertoroſa, valida cum pulſu inæquali, duro, forti; ſi parapoplexia prægreſſa; ſi excitati denuo torpidi & ſomnolenti fiunt; ſi epilepſiæ ſuccedit; ſi, ubi pauliſper ad ſe redit attonitus, aliena tamen mens eſt; ſi ſpiritus frigidus; ſi convulſivi motus unius lateris, ipſiusque pectoris, accedunt; ſi urina & ſtercora ſponte elabuntur, (ſub his mors inſtat) ubi clyſter injectus prorſus retinetur; ſi nebula infecti oculi. *Boerh.* Apoplexia demortui ante triduum non ſunt ſepeliendi. *Barbette.* Ex apoplexia delirium, non ſemper letale. *A. N. C.*

Appetitus cibi vitia.

Paulo pejor ſed ſuavior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus. *Hipp.* Dejecta omnino in morbis appetentia valde periculoſa & contra. Pica & malacia in chronicis morbis mala. Inappetentia poſt morbum remanens, plerumque recidivam prædicit. Morbo diuturno inappetentia & alvi meraca dejectio ſi ſuperveniat, malum. *Hipp.* In omni morbo aliquantulum adhuc comedere poſſe

ægrum, bonum eſt ſignum. Si poſt magnam inappetentiam in acutis & chronicis ſubito, ſine criſi, in ſumma & extrema debilitate, ingens excitetur appetitus, mors in propinquo eſt. *Bagl.* Cibi appetitus labefactatur, quavis ſpirituum perturbatione; Videmus in dentientibus, navigantibus, mœrore afflictis, hypochondriacis. *Brunner.* Appetitus quandoque auctior eſt ante invaſionem motuum ſpaſmodicorum. Inappetentia in quartana plenaria corruptum quoddam notificat viſcus. A morbo revaleſcenti ſi cibus non proficiat corpori largiaturque vires, hinc onerari indicatur, & malum eſt. Qui ſub adverſa valetudine abunde initio comedunt nec proficiunt, ii fere tandem omnes in cibi faſtidium incidunt: contra, qui initio forti inedia uſi, cibum poſtea petere incipiunt, invaletudine facilius liberantur. In ſtomachi morbis pulſus eſt parvus. Fames canina à vermibus, nullius periculi. Si cum vomitu & alvi dejectione, degenerat in cachexiam, hydropem, lienteriam, ατροφιαν, tabem. Si ſine vomitu quandoque obeſi fiunt. Si morbos jam profligatos inſequitur, labem viſcerum infimi ventris adhuc ſupereſſe innuit, & morborum facilem recidivam portendit. *Decker.* Inappetentia ex abuſu ſpirituum ardentium ſi leucophlegmaticus jam acceſſerit habitus, difficulter cedit. Ab immodicis evacuationibus nata, difficulter ſuperatur. Quæ à non deglutita ſaliva, lætam ſpem habet; gravior, quæ ex ventriculi ſtupore largis anodynis contracto. Graviſſima & vix ſuperabilis, quæ à viſceribus læſis

aut

aut preſſo ventriculo, aut ipſa ejus ſubſtantia vitiata.

Qui nimium replentur cibis, ſi poſtea bene dormiant beneque per ſomnum tranſpirent, non ita facile ob nimiam repletionem ægrotabunt, ſicuti ægrotarent, ſi non dormierint ac non tranſpirarint. Κακοςομαχοι proyecta ætate aliquando tandem arthritide vexantur. In morbis ab animi pathemate, ira, mœrore, venere inflammata, inprimis, plurimum patitur ſtomachus. Qui diu jejunant, iis ſaliva fit foetida, putrida, halitus fœtens, ſordes in faucibus, lingua ſcabra, & anorexia ſæpe ſequitur. *Boerh.* Αδδηφαγια morbo exhauſtis periculoſior eſt quam ſanis, his enim vomitus cum juvamine communiter accedit, vel diarrhoea. Extrema fame exhauſtis ad ſatietatem edere, certiſſima mors eſt. Fames intenſa & boulimia in morbis mala; in chronicis magnam cacochymiam, in acutis delirium ſignificat. Quæ puellæ ante pubertatem pica laborant, illæ ſuccedente menſium fluxu ſæpius ab illa liberantur. Quæ vero jam menſtruatæ, vel inordinate experiuntur fluxum, in iis difficilis ſanationis.

Arthritis. Rhevmatiſmus.

Affectus arthritici, rhevmatici, acuti, chronici, ſanguinei, ſeroſi varie ſolvuntur: ſudoribus, urinis, febre, colica, diarrhoea, hæmorrhoidibus, veſica hæmorrhouſa, hæmorrhagia, dyſenteria, ptyaliſmo, furunculis,

 ulceri-

ulceribus, scabie, purpura varia, efflorescentiis cutis variis, varicibus, vomitu atræ bilis, per suppurationem &c.

Materies arthritica sæpe per tussim educitur humidam, ejecta pituita viridescente, puris instar, incautis phthisin imponente. Solvitur excretione materiei sabulosæ, albæ, rubræ, calciformis, in doloris loco pluries obhærentis, expulsæ. Deponitur sæpe ad pedes, enato eorundem tumore multo, seroso, rarius & minus dolente salutari, cum vel sine pruritu scorbutico. *Musgr.* Atque si rite tractentur, periculo sunt vacui, licet pertinaces. Opulenti, sapientes, frequentius, fatui, egeni, rarius fiunt podagrici. Ex hæreditate accepti, gravius adfligunt. Nullus fere morbus est, qui magis à parentibus trahitur, quam articularis.

Arthritici, nephritici affectus, hæmorrhoides, morbi sunt propinqui & inter se alternantes. Æque colica, diarrhoea, dysenteria, purpura, cardialgia, scorbutus, suas cum arthriticis morbis habent vicissitudines rhevmaticisque. Transeunt & in peripnevmoniam. Lubricus est rhevmatismi in arthritin transitus. Ubi nephritis sabulosa podagræ complicatur, ibi raro simul observantur hæmorrhoides. Arthriticis cum passionibus sæpe alternant vari & gutta rosacea; Quæ ad interiora, maxime stomachum & spiritales versa partes, brevi aliquando funesta sunt. Characteristicum quasi signum accedentis jamjam & redituri invasus sunt: quædam venarum protuberantia loco circum-

cumdatarum; tussis; capitis dolor; colica; dolores tensivi inter scapulas, circa nucham ac dorsi spinam, lumbos, os sacrum, coxas; spasmus surarum vel digitorum pedis; apepsia porro; quandoque pridie appetitus voracior, ventriculi cruditas; gravitas corporis, & ejusdem intumescentia quasi ventosa; quæ omnia quotidie sensimque augentur, donec tandem erumpat paroxysmus. Remanens, retrograda, repulsa, acutissimos ac gravissimos parit morbos, melancholiam, paralysin, φθισιν, asthma, cardialgiam, colicam, dysenteriam, convulsiones, cæcitatem, apoplexiam, lethargum, catarrhum suffocativum, febres varias, inflammationes viscerum, icterum, hydropem, tandem agmen claudit singultus. *Waldschm.* Arthritis succedere vel supervenire suevit colicæ, melancholiæ, scorbuto, gonorrhoeæ, lui venereæ, asthmati, febri, morbis cutaneis, rhevmatismo, chlorosi, mensibus suppressis, hydropi. Arthritis hydropi recenti superveniens, quandoque tollit illum. *Bagl.* Arthritis venerea sæpe transit in apoplexiam & motus convulsivos fatales. **Veteres**, enervati arthritici, sedis morbis, v. g. abscessu, fistula, inflammatione gangrænodea, nonnunquam misere cruciantur. Quibus sublatis recurrit arthritis. Arthritis vaga scorbutica quo crudelior & diuturnior, eo facilius ad varias hæmorrhagias tendit, ubi, quamdiu flui sanguis, dolor cessat, simul atque fluxus sistit, dolor recrudescit. Paralysis hic sæpe succedit. Si subito evanescunt dolores arthritici sine causa, pessimum est. Arthritis ad nucham pessima est. Urina sub-

jugalis bona est in articulorum doloribus, rhevmatismo. Uteri cum artubus nota est sympathia.

Arthritis interdum repente in omnes irruit articulos, sæpius paulatim accedit, atque insidiose, nec ulla fere ossium connexio hujus expers cruciatus est. Arthritis quo diutius & gravius afflixit, eo corpus magis disponit, ut quavis data occasione paroxysmus facilius recurrat. Quo magis à paroxysmo podagrico notabilis tumor, torpor, rigor, nodosa durities remanent, eo promtior est recidiva. *Carl.* Arthritis nodosa nunquam è toto sanatur: Occurrit in statu inveterato, post dolores atrociores, post usum topicorum inconsultorum. Iuveni semper facilius succurritur, si amans laboris est, accurate victitat & facilem alvum habet.

Juniores podagrici raro diu vivunt, contra, seniores. Hi marasmode vel hydropico-hecticis vel paralytico-apoplecticis malis tandem extinguuntur. Arthritici tandem fiunt hydropici. Arthriticus dolor in humerum incumbens nullum evidentem calorem, tumorem vel ruborem facit; in genu ac cubito vero multum dolorem, tumorem, ruborem, calorem perexiguum exhibet. Qui humeri dolor ad manus & scapulas in seniore migrat homine cum torpore ac dolore, neque accedens bilis vomitus juvat, difficile est.

Hystericæ facile fiunt podagricæ. In vehementibus articulorum doloribus alvus supprimitur. Incipiens podagra medicabilis est, contra inveterata. Podagricus fomes varios producit vesicæ morbos, dysuriam, ischuriam, mictum cruentum, scroti pruritum. Podagra si jam se-

nio

nio confectos adoritur, nunquam posthæc vel tam statas habet periodos, vel tam sæva est, quam si juniorem afflixerit. Quo vehementior dolor, eo citius præterlabitur paroxysmus longiorque erit intermissio, & magis perfecta, ac vice versa. Feminæ perraro infestantur podagra, eæque non nisi vetulæ jam & viragines masculo dotatæ habitu; atque quibus menstrua defecerint. Podagra, quo magis dolet, eo magis vergit ad contracturas; in senibus solet degenerare in paralysin. In podagra inveterata sub singulis accessibus dolor sensim minuitur, tandemque ægritudine magis quam dolore afficitur homo.

Dolor pulsatorius, si percipiatur in parte â podagra tentata, ut plurimum brevi finietur morbus. *Boerh.* Puer podagra vix laborat ante veneris usum, nisi hæreditas subsit. *Hippocr.* Quilibet paroxysmus podagricus generalis aliis absolvitur cotidianis paroxysmis, media nocte ortis ac versus meridiem mitescentibus. *Sydenh.* Spontaneus paroxysmus (2. 3, 4, septimanas, ni turbetur, durans) invadit ordinarie media nocte; ira vero vel terrore accitus, in momento irruit. Dolor ille, quem patiens primo expergefactus sentit, refert eum, qui ossium talium luxationem sequitur, cum sensu quasi aquæ frigidæ dolenti loco affusæ.

Pavores qui in somno podagricis nonnunquam accidunt, ubi remittunt, & paroxysmum remissurum indicant. Dolor podagricus post 2. 3. 4. hebd. abire suevit in hebetem ac torpidum sensum, quandoque rigorem, stuporem.

Tumor circa initia podagræ statim accedens morbum reddit breviorem, qui circa finem evenit, longinquam magis promittit immunitatem.

A tumoribus podagricis immunes fere sunt cholerico-sanguinei, potius strictura quædam partium & aridura supervenit. Sanguinei habent tumores duros, rubicundos; phlegmatici molles, œdematosos, utrinque cum doloris sensu. *Carl.* Qui multum urinæ emittunt & sudant frequenter, minus à podagra tentantur. *Crato consil.* Sudor sæviente dolore anxius exprimitur reliquo corpore, nil juvans, parte adflicta pertinacissime sicca; dolore contra mitescente, ex ipsa etiam parte obsessa prodit. Circa æquinoctia & solstitia generalem paroxysmum ordinario renovat podagra. Ischias quoniam loco excretionis sanguineæ propius est, longe promtius aliquando mitigatur, quam podagra & gonagra. Ischias raro evidentem habet tumorem, minus sæpe calorem aut ruborem, magis graviorem dolorem, fereque ex metastasi gignitur.

Si in ischiade ingens torpor subest, cum partium frigiditate, alvo obstipata, pene pendulo, atque annus 40mus jam præteriit, longissimus erit morbus.

Si ischias ad inferiora vergit, bonum, contra, si ad superiora. Si sine torpore est, si leviter friget, quamvis magni sint dolores, tamen & facile & mature sanatur. Quibus diuturno dolore ischiatico laxatis femoris caput coxa excidit, iis femur contabescit. Incongrua ex medicatione arthritidis, ischiadis, rhev-

rhevmatismi, plus sæpe fiunt crepitatio, anchylosis, claudicatio, contractura, abscessus cariosi, paralytodes, spontanea luxatio, œdema, tumor durus, scorbuticus partis. Ischias hypochondriacis, hæmorrhoidariis & scorbuticis familiaris est. Uteri ulcus ischiaticum quandoque mentitur malum, claudicant enim interdum altero crure eodem laborantes. Ischiatici, quibus ulcera crurum manantia superveniunt, liberantur. Abscessuum ischiaticorum successio familiaris esse solet in febribus tertianis remittentibus, tritophyæis.

Ischias, rhevmatismus, arthritis si nimis sit contumax, & dolores nocturni magis, de gallico cogita contagio. Dolor ischiaticus & surditas mutuas habent vicissitudines. Ex ischiade chronica sæpe fiunt abscessus musculorum abdominis. In cholerico-sanguineis ischias contumax in extenuationem & coxendicis ariduram pluries abit. Si juncturam femoris obsidet, suevit longinquior esse, quam si sacrum os. Malum ischiaticum, nephritis & hæmorrhoides consentiunt. Ischias insolentior facile in podagram migrat, quæ non rite excepta hecticam infert. *Junck.* Coxæ dolor in senibus, quandoque ad annum perseverat, in junioribus diebus 40. plerumque finitur. Dolor lumbaris pluries mesentericus est ex repletione putris cacochyliæ. Hypochondria non mollia & facies bene habita nonnisi liberali hæmorrhagia aut convulsione aut coxendicum dolore solutionem accipiunt. Lumbago totius abdominis subitaneo tumore, velut tympanitico, soluta legitur.

tur. *Smet.* Dolores lumborum in ischiadem & hæmorrhoides facile transeunt.

Lumborum dolor sine causa veniens, hæmorrhoidum vel mensium signum est. *Hipp.*

Rhevmatismi dextrum latus frequentius occupant quam sinistrum. Miasma rhevmaticum quandoque cerebrum, pulmones & viscera infimi ventris obsidet, cum dolore & gravi ægritudine excrucians.

Asthma. Dyspnoea.

Asthma morbus anceps est & pertinax. Juvenes difficulter eodem liberantur, senes nunquam, sed eos ad mortem fere comitatur. Infantes suffocat, ni matura fiat medicatio.

Omne asthma non est ἀπύρετον. *Piso.* Asthma cum tumore pedum plerumque hydropis prodromus est, maxime in ætate provectiori. Asthma in corpore stricto peripnevmoniam, in laxo & humido facile cachexiam & hydropem inducit. Juniores asthmatici à causa exanthematica certe tandem in φθίσιν delabuntur. *Junck.* Asthmatis humoralis radix est in primis viis. *Helm.* Asthmatici ad apoplexiam faciles sunt, maxime ubi concretiones junctæ polyposæ. Dyspnoea nocturna in chronico morbo hydropem minatur. *Plater.* Si asthmaticis animi deliquium frequenter supervenit, letale augurium facit. *Forest.* Magna est consensio atque arcana inter pectus, tibias atque pudenda. *Bagl.* Crebræ sanguinis missiones in quovis asthmate facile inducunt hydropem universalem. Ventis ex austro & zephyro flantibus, difficilius spi-

ſpirant aſthmatici; bene ſe habent Euro regnante. Aſthma ſiccum ex abuſu purgantium & diureticorum tranſit in pectoris hydropem.

Aſthma pluries viam ſternit phthiſi atque hydropi. Si aſthmati accedat manus œdema, dein brachii, impedimentum aliquod, veluti polypus, erit vel circa cordis ventriculum vel circa illius auriculam; morbo ad interitum ægri properante. *Bagl.*

Vix unquam curatur hæreditarium; quod in ſenibus; inveteratum; Quod à pulmonum ſteatomate, corde extra ordinem magno, à ſitu ventriculi p. n., à carunculis in aſpera arteria, aortæ anevryſmate, tuberculis ſcirrhoſis pulmonum, gibbo, incurabile eſt.

Aſthma ſenes, viros, pueros magis gravat, atque premit, quam mulieres ac juvenes, Hieme porro magis atque noctu, quam in die atque æſtate.

Solvunt aſthma tuſſis ſuperveniens; morbi ad pudenda & crura; arthritis; œdemata; ulcera manantia; hæmorrhoidum fluxio; menſtrua redeuntia, (maxime ſi ab his ſubnatum interceptis) calculi rejecti ſive tophi, veſiculæ itidem pure, pituita, ſeroſitate fartæ; febris, humidum, pituitoſum puta; polypi pituitoſi per tuſſim ejecti; dyſuria. *Tulp. Blancard. Tranſ. Angl.* Tument pedes aſthmate ceſſante. Ceſſante dyſuria denuo evadunt aſthmatici. Minuitur aſthma, qúa proportione augetur arthritis. Aſthma, dyſuria, arthritis ſæpius ſe invicem excipiunt. In aſthmaticis ſalubrior eſt pedum tumefactio quam ſiccitas, Alternant

aſthma

asthma & δυσηκοια sæpius, maxume humidum, spasticum, flatulentum.

Asthma si febri acutæ accedit; si pleuritis vel peripnevmonia supervenit, summe periculosum est, fere plerumque moriuntur.

Asthma puerperarum, si acutus valde sit morbus, letale solet esse. Asthmatico si eveniat nova ad pulmones defluxio obruens, ut in catarrho suffocativo, letale. Asthmatici maxime periclitantur ii, qui viribus sunt infirmi, cito enim suffocantur & in syncopem labuntur.

Quibus gibbi, ex asthmate vel tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur. *Hipp.*

Asthma spasticum affectus est summe suspectus, maxime si pluries, atrocius & prorsus pluribus diebus infestet. Facile huic supervenit peripnevmonia. In corpulentis facile relinquit hydropem pectoris, in juvenibus hæmoptoen, in senioribus catarrhum suffocativum, apoplexiam. Omne asthma convulsivum vel præceps intra triduum dat exitium, maxime in senibus, ubi cordis subest polypus; vel diutius inhæret, atque hydrope extinguit. *Hoffm.* Asthma humidum diuturnum plerumque est sine insigni remissione, ægrumque per multos sæpe annos contumaciter comitatur, & hoc tanto magis in annosioribus, ubi irreparabilem aliquando pertinaciam induit. Magis id adhuc, ubi hæreditaria dispositio.

Asthmati sicco, humorali, pituitoso, crebro succrescit arthritis, podagra, maxime ætatis

anno

anno 45 - 50. raro maturius; & contra, arthritis in asthma desinit. Asthma arthriticum, humidum, expectoratione commoda, larga levatur, optime tollitur arthritide recta; siccum non raro strangulat, facta ad articulos metastasi cedit, cito nonnunquam.

Asthma inveteratum vel male tractatum transit in hydropem pectoris, obstructiones viscerum infimi ventris, pedum œdema, cachexiam, hydropem universalem. In his mortem ante fores dicit pulsus intermittens, & inæqualis, oedema, stupor vel paralysis brachiorum, continua cordis palpitatio, dysuria, syncope.

Aurium Morbi.

Omnes aurium affectus non facile curantur, inprimis inveterati. Hypochondriacis, hystericis, catarrhosis auditus vitia sunt frequentia.

Surditas ab utero & paralysi, incurabilis. Qui à nativitate surdi sunt ac muti, aliquando membranam illam, quam recens in lucem editi secum in hunc orbem afferunt, meatui auditorio obductam & epidermidi continuam, postea exarescentem pro naturali statu & dissilientem, habent crassissimam, robustissimam, & quodammodo cutaceam. *Aquapend.* Si permanet surdos reddit. Obnascitur quandoque & exulceratis auribus. Surditas à nativitate, item à longo tempore contracta, integra & absoluta,

ta, incurabilis est. Quæ diuturna, licet non absoluta, difficillimæ, quin nullius curationis est. Membrana tympani rupta vel cicatrice obsessa, incurabilem surditatem gignit. Surditas per intervalla crescens & decrescens, curabilis est. Surditas, quæ à vitio cerebri facilius curatur, quam quæ à proprio auris affectu. Surditatem metastaticam, salutarem, in febribus, tinnitus aurium sæpe præcedit. Surditas post 7. d. in febribus eveniens, certissimum est sub pepasmo reconvalescentiæ signum. Surditas biliosis egestionibus contingentibus, cessat. In febribus acutis,ardentibus,malignis,petechizantibus, circa dies criticos, imprimis 14., urina existente cocta, salutaris est; secus, delirium vel convulsionem portendit. In phrenitide aut febre hungarica si evenit, non sequente critica hæmorrhagia vel alvi fluxu, delirium nunciat. Hæmorrhagia non critica delirium portendit in hisce. Surditati succedens delirium, malum, sequuntur convulsiones & mors. Post delirium surditas, mali solutionem indicat. Dolor ischiaticus & surditas mutuas habet vicissitudines. *Hipp.* Enata in febribus surditas, alvum remoratur & sistit. In præcipiti atque turbulento morbo obveniens surditas, pernicialis. Ex surditate abscessus ad aures plus sæpe laudabiliter contingunt, inprimis in soporosis. Post modicam sanguinis eruptionem nigramque dejectionem in acutis morbis surditas, malum est. Et contra, surditatem solvunt hæmorrhagia & alvi fluxio. *Hipp.* Echo & bombilus aurium

in acutis sine coctionis signis in urina lethiferus. Quandoque indicit crisin. *Hipp.* Aurium tinnitus & sonitus citra febrim cum capitis dolore, tenebricosa vertigine, vocis tarditate, manuumque stupore crebro incidentes, apoplexiam, aut epilepsiam, aut oblivionem minantur. Tinnitus œdemate pedum ac asthmate levatur. Chronicus raro curatur, sæpe recidivat, interdum in omnimoda terminatur surditate. *Ettm.* Sonitus aurium recens facile curatur; contra chronicus, & qui à lue venerea; qui à sanguine bileve facilius cedit, quam qui à pituita, hicque pluries in surditatem degenerat. Otalgia à vermibus, curabilis est, gravis tamen. Otalgia sæpe prænunciat parotidem Solvitur discussione; sudoribus; urinis; effluxu materiæ purulentæ, serosæ, acris, subcruentæ. Fit per metastasin in febribus acutis, hungarica, cum δυσηκοια. Si in declinatione, convalescit. Si in febre hungarica metastasis cum otalgia ad exteriora auris, ex doloris atrocia sæpe mors sequitur. Si ex lapsu cum puris effluxu, moriuntur. *River.* Otalgia à sero, pituita, flatu, non est quidem periculosa, sed chronica utplurimum. Quæ ab inflammatione multum habet periculi, sæpeque delirium, convulsionem, inducit, hacque magis periclitantur juvenes quam senes, multique intra 7. d. intereunt. Otalgia aliquando mutatur in hemiplegiam, quæ si recens, superabilis est.

Otalgia crebrius ad suppurationem tendit, præcipue cum tumore parotidum; raro tum discutitur. Dolor aurium acutus in acuto morbo perpetuo difficilem gravemque morbum, maxime

in junioribus, ostendit, sed ex suppuratione vel hæmorrhagia salus esse potest. Dolores aurium inflammationesque internæ crudeles, horrendæ sunt, & quandoque diei spatio sub convulsionibus letales. Si otalgia neque discutitur neque suppuratur, facile febres inflammatoriæ cum phrenesi quasi exoriuntur. Abscessus ex otalgia communiter δυσηκοιαν, majorem modo, modo minorem, relinquit. Abscessu aurium capitis sævi, convulsivi, dolores critice quandoque solvuntur. In gravi capitis affectu, si pus ex auribus effluat, solutio fit. Ulcera aurium difficilis sunt curationis, inprimis quæ sine otalgico abscessu prævio. Pus laudabile ex abscessu otalgiam excipiente facilem promittit medelam; & contra, ubi sanies virulenta, fœtida, manat, quocirca fistulæ & cariei metus non iniquus subnascitur. Otalgia & ulcera aurium colludunt quandoque cum affectibus arthriticis. Aurium cum artubus, oculis, dentibus, hypochondriis, faucibus, magna est consensio. Aures manantes ab excretionibus criticis retrogradis earum tolluntur reditu felici. Quibus in pueritia aures manarunt, ii in ætate adultiori sæpe otalgia cum surditate crucientur, quibus abscessus ruptio atque effluxio puris saluti. Exulceratio si post pubertatem non recedat, ad vitæ dies durare solet, multoties cum levamine naturæ & capitis gravitatis solutione. Rhevmatismus aurium & coryza plus sæpe alternant. Hæmorrhagia auris à violentia externa non adeo pertimescenda; & contra ab interna. Sæpe criticus tamen est sanguinis per aures fluxus, aliis evacuationibus natu-

ralibus ſanguineis interceptis. Si tota auris abſciſſa fuerit, homo gravius audit. Δυσηκοια quæ ex catarrhis, in hypochondriacis, à cerumine indurato, à ſiccitate membranarum, obſtructa tuba Euſtachiana, medicinis cedit. Δυσηκοια vel tinnitus qui capitis dolorem gravativum & vertiginem in plethoricis atque infirmis ſequitur, apoplexiæ habet præſagium. Δυσηκοια pluries ſolvitur abſceſſu aurium, ulcere vario, otalgia, efflorescentia purpuracea chronica. Diuturnam periodicam ex ſpaſmis infimi ventris, fragore quodam in aure, eminus percipiendo, ſemper ſolutam notavi. Periodicam aliam ex menſibus laborioſis, ſuccedente eorum fluxu, ſemper iterum depulſam. Δυσηκοια catarrhoſa tollitur aſthmate, ulcere, tumore pedum vel abdominis hydropico; & contra, ex ulcere antiquo conſolidato δυσηκοια. Δυσηκοια & aſthma pluries alternant. In malo hoc chronico de inquinamento venereo ſciſcitare. Aurium ſordes, quæ natura ſua flavæ ac amaræ, dulcescere aut colorem mutare, pravum in morbis.

Bubo.

Peſtilens & venereus ſuo loco legantur.

Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras. Interdum in febribus malignis circa genitalia, alas bubones apparent, quibus die undecimo erumpentibus, morbus ſolvitur. Bubones benigni ſi diu protrahantur, & tardius maturentur, periculo non vacant, quum in

fiſtulas periculoſas facile abeant, maxime ſi ex uno foramine fieri incipiant plura. *Hildan.* Difficillime parotides, promtius bubones inguinales, promtiſſime ſubaxillares in ſuppurationem plerumque vergere ſolent. *Heiſter.* Bubo ab erroribus hæmorrhoidum; alius circa pubertatis annos ex lymphæ bonique ſucci redundantia; alius a contuſione, curabiles ſunt, bene diſcernendi, habentque prædictiones ſuas in principe valetudine.

Cachexia. Chloroſis.

Cachexiam pluries præcedunt tremores, maxime in bibonibus. Qui diu pallidi faciem habent tumidam, eos certum eſt aut capitis aut viſcerum dolore laborare, aut ſedem internam quodammodo male affectam eſſe. Magna autem ex parte non unum aliquod horum adeſt, ſed interdum multa, aut etiam omnia. Larga eſt differentia inter diſpoſitionem cachecticam & cachexiam plenariam. Cachexia proximus eſt ad hydropem, inprimis λευκοφλεγματιαν, atrophiam, hecticam gradus. *Aret.* Facilis eſt tranſitus atrophiæ in cachexiam. Cachexia ſæpe per multos annos contumaciter perſiſtit, & licet œdemata etiam paſſim in tibias & pedes ſe extendant, non tamen verus inde hydrops extenditur. Cachectici raro perfectam adipiſcuntur ſanitatem, multo minus hydropici. *Barbette.* Senes mortem non evadunt; pueri liberantur facilius; ætate florentes, non valde cachexiæ patent, non tamen penitus facile ſanantur. *Aret.*

Quo

Quo pejor color, v. g. virideſcens, nigricans, eo pejor morbus, & contra.

Viſcerum integritas multum relinquit ſpei, & contra. Facilius tollitur quæ ſubito ex intemperantia & prava digeſtione ſuboritur, quam quæ paulatim ex viſceris labe ſubnaſcitur. Quæ ex nimio potu, refrigeratione, poſt febres, in junioribus, ſub viſcerum integritate curari poteſt. Si ex hæmorrhoidum fluxu vel prægreſſo vel ſæpius recurrente, curatu difficilis eſt. Si ulcera in cachectico exſurgant, difficulter ſanantur. Si totum corpus ſit tumidum, inflatum, pallidum, ſi ciborum adeſt faſtidium, hypochondriorum tenſio ac durities, crebrior, male olens, vomitus urget, virium lapſus, ſyncope intercurrens, pauca per alvum feruntur, urina cruda & pauca, reſpiratio difficilis, mortem aliquot menſibus prænuntiare licet. *Hoffm.* Cachectici ad epilepſiam proniſſimi ſunt.

Chloroſis eſt malum χρονικοτατον, quod ſponte raro, ni vitæ mutatio vel matrimonium juvent, cedit. Conſenſus eſt inter chloroſin & icterum. Ex chloroſi, ni tollatur, fiunt lentæ, aſthma, hectica, febres, φθισις, hydrops, arthritis, rhevma. Solvitur maturis catameniis, conjugio. Scabie humida totali multum levatam vidi, catameniis tandem erumpentibus. Pluries chloroſi ſupervenit chronicæ ſterilitas, aut foetus edunt infirmos.

Calculus renum & vesicæ urinariæ.

Vix ulla corporis pars est, in qua non calculus fuerit inventus. Calculus non nisi è sede sua dimotus, atrociter affligit. Calculus renum verus omnia funesta prædicit, nisi vegeta admodum ætas & virium energia summe præsto sit. Vesicæ consummatus respuit pharmacorum opem, & quos semel tenet, ad mortem usque ipsam pertinacissime discruciat. Sæpenumero uno excluso, extracto, novi subnascuntur. Calculus vesicæ modo libere inhabitat, modo adhærescit immobilis. Multi sine dolore calculum vesicæ diutissime intus fovent. Præ feminis frequentius laborant calculo viri, & quidem ægrius. Vix unquam renum calculi effugit tormentum, quisquis parentum occasione expositus calculo à naturæ ortu fuit. Sinistrum renem præ dextro infestat. Laxam habentes urethram, calculum aliquando inscii dimittunt. Excernitur quandoque ex perinæo, formato abscessu, vel sub hoc casu per anum aut muliebria quoque. *Comm. Lit. Nor.* Repentino renum dolore cum mictionis defectu, calculorum aut urinarum crassarum excretio portenditur.

Quibus novum aut certe rarum calculi renalis vitium, ii minimo etiam cruciantur calculo. Quibus vero vetustum jam, hi tantum grandioribus torquentur, mediocribus non item, & qui non angulosi. Quo magis diutiusque urina fertur ▽sa, eo duriores magisque rebelles renum adsunt calculi. Renum calculus plerum-

que

que fere subruber est, vesicæ magis albicat, grandior ac durior isto. Arenas multi mingunt & tamen non sunt calculosi, quoniam illæ non coguntur in lapidem, nisi viscido aliquo & crudo interveniente, ad quod itidem tempore opus est. *Holler.* Mentiuntur adamussim vesicæ calculum fungus, excrescentia, scirrhus vesicæ, pituita, pus in illa indurata. *Bagl. Heurn.* Solum purulenta materies ad calculi genesin sufficit. A vesicæ calculo vel tenesmi vel recti prolapsus initia haut raro fiunt. Omnes calculosi facile fiunt icterici, & contra. *Bagl.* Dolores ex calculo cum ulcere & in senibus obvenientes difficillimæ sunt curationis. Calculosi sub plenilunio gravius habent reliquo tempore. Vesica in calculosis ad pollicis crassitiem quandoque callescit. Ureter intestinuli in modum ex calculo incarcerato aliquando distenditur. Ubi calculus per eundem descensum tentat, dolor ad regionem ossis illiusque excurrit. Et tunc urinæ & fæcum excretiones sistuntur. Diu ureteri obhærens inducit nappetentiam, vomitum, anxietatem, hecticam, quin mortem. Signa magis certa calculi sunt: urina crassa, sedimentosa, albicans, viscida, matulisque adhærens, maxime, simul sanguine excreto; dolor fixus & vomitus etiam in procedente affectu junctus; in colis extremo & glande ingens pruritus, doloris ac irritationis continuus sensus; contactus cathetere, nisi membrana sit inclusus, digitis ano, uteri vaginæ, immissis; testiculi retractio; femoris, dolor, spasmus, stupor. Hæc quidem ultima è directo plurimùm. Lapis læ-

vis & politus exclufus vel exemtus focii delitefcentis metum incutit. Convalefcentiæ & paroxyfmi cedentis fignum: fi urina ab initio tenuis, alba, poftea craffa fit, fabulum & fruftula lapidofa deponit. Nonnulli calculofi cum cotidie materiam ulcerofo-ichorofam emiferint, à calculis poftea immunes vixerunt. Mictus cruentus in difpofitis calculum aliquando præcavet. *Junck.* Mortem prædicunt dolores diu noctuque pergentes, atrociffimi, nullis cedentes remediis, omnimoda urinæ fuppreffio cum extremorum refrigeratione, fudore frigido, lypothymia & tendinum convulfione. Porro: fi vomitum & dolorem acutiffimum febris fequitur, cum magna anxietate ac fiti vehementi, ac poftea fingultus atque delirium cum extremorum frigore accedunt, non diu fuperftes erit amplius æger. Quidam ob totalem urinæ fuppreffionem in hydropem pectoris, lethargum vel convulfionem incidunt. Moriuntur alii lente hectica cum appetitu præcedente dejecto, naufea, vomitu firmiter perfiftente; Alii tabe renali, & hi pauciffimos utplurimum in vita percepere dolores, renibus totis in pus converfis. *Holler.* Cito exftinguuntur accedente inflammatione ad ventriculum & inteftina extenfa, & in gangrænam, fphacelum verfa.

Calculus in urethra plures annos levi cum incommodo hæret; ultra 28. annos accidiffe dicit *A. N. C.*

Can-

Cancer.

Omnis glandula eſt locus cancri. Cancro laborantes melancholici ſunt. Mammæ, labia, uterus, naſus, inprimis patent cancro. Periculorum & propter longam durationem tædii plenum vitium eſt τὸ καρκῖνον. Cancer ubi increvit, omnium maxime eſt moleſtus, periculoſus, letalis. Non ſolum ægri miſere eo intereunt, ſed miſerius quoque donec mors necet, vivunt. Facilis eſt progreſſio ſive communicatio ad vicinas glandulas, v. g. à mammis ad ſubaxillares. Quo durior cancer, eo pejor. Quandoque uti os durus evadit. Quo recentior cancer, eo melior. Recens occultus curationis aliquam viam præbet, & contra inveteratus & cum ulcere. Ubi exiguo tuberculo malum circumſcribitur curari aliquando poteſt, aliquando etiam relinqui, etſi non negligi ſe patiatur. Illi non fidendum, qui venis circum lividis aut pallentibus tumet, nec tentandus medicamentis. Occultus quieſcens in euchymis diu tolerari poteſt, modo caveantur motum circulatorium nimis augentia; & contra, in atrabilario, ſicco, duro, rigido, ſene, cacochymico. *Boerh.* Scirrhus cordi quo eſt propior, & quo majora habet vaſa arterioſa, eo plus eſt periculi, ne in cancrum abeat. Scirrhus qui colore albus eſt, ſi ſit rubicundus, inflammatorius, liveſcens, cum dolore primum pruriente, dein lacerante ac ſummo urente, ac ſi ferrum candefactum per partem duceretur, cancrum

oborturum edicas. Si tumoris ſub cute proximioris apici verrucoſa inæqualitas inſideat obſcuri coloris atque compagis compactæ vel compreſſæ, vel altius ſub cute latenti obhæreat duritas alba, granoſa quaſi, cum fibrillis albicantibus, calloſis, hinc illincque ſeſe expandentibus, metum habe carcinomatoſæ indolis. *Eller.* Quibus cancri occulti fiunt, eos non curare melius eſt. In cancro occulto, qui ſcirrhus eſt malignus in glandula, retinente ſuum volucrum commune ſive proprium, ſæpe in medio tumore reperitur cavum acerrimo & fœtido humore plenum. Cancer ſolitarius melior eſt multiplici, vel ſi ſcirrhi in aliis partibus ſimul adſunt, hi enim ſerpentis cancri ſunt prodromi. Pejor & incurabilis eſt qui à cauſa interna, quam qui ab externa. Excreſcentiæ fungoſæ glanduloſarum & membranacearum partium fere ſæpe in cancrum deſciſcunt. Cancer occultus ubi in apice vel circumferentia rubet, dolet, ac inflammatur in apertum tranſibit. Summis tum doloribus adfligit, ferocit, ſerpit, depaſcit, donec hominem plane confectum, trucidet. Cancer contagioſus eſt in diſpoſitis, in genere non æque. Cancri teterrimus odor adſtantes atque curam habentes etiam quandoque interficit, φθισι ſæpius. Cancer exulceratus fœtorem ſpargit acetoſum & putredinoſum carnis in muria ſalina vel aceto computreſcentis æmulum. Si in cancro aperto inſignior eſt fœtor, putrefactio prævalet, ſin minus, acris corroſivitas. Quo hæc ſævior, eo cuncta ſæviora. Si corroſivitatem

exte-

externis inhibeas, putrefactio increſcit, ſi hanc, illa effrenior fit. Ergo curationis ſpes prope nulla in topicis. *Carl.* In cancro aperto nullum arte quavis pus laudabile progignitur. Moriuntur tabe cancroſa, febre hectica ſumma, lipothymiis, convulſionibus, hæmorrhagiis, (maxime in uteri cancro) agrypniis, ex immanitate dolorum. Femina quamdiu ubera præbet vix mammarum ſubjacet cancro. Ex decem muliebribus, quæ mammarum cancro laborant, vix una eſt, quæ non habeat à contuſione, compreſſione, compunctione. Feminæ quæ ſcirrhos gerunt, maximè in infernis partibus vel mammis, facile, menſtruo tributo ceſſante, cancros accipiunt, cælibes inprimis & ſteriles. Feminæ, quæ ſcirrho vel cancro mammarum laborant, ſi iis catamenia non rite fluunt, vel ſi purulenta è vulva cum menſtruis feruntur, ſæpe & uteri ſcirrho vel cancro infeſtantur, maxime ſi dolor in hac regione junctus ſit. Si jam glandula ſub ala intumuit, ubi cancer mammam tenet, malum, nec ſectio proficit. Glandulæ mammarum & uteri magnum habent nexum, & cancer in alterutra habitans. Æque valet de ſympathia glandularum faucium ac pudendorum. Si in ullo exſcindatur vel tollatur, facile in alium migrat locum. Malignitas cancri patet ex pruritu continuo lancinante, à vaſis varicoſis, ſcirrhoſis, duris, magnis & multis, dolore intolerabili, fœtore & acrimonia ▽æ ſtygiæ inſtar, febre hectica urgente, lipothymiis. Periculum petitur ex loci vel partis, cui inſidet, digni-

dignitate, nec non individui consideratione. Anevrysma spurium sæpe fit à cancro exulcerato introrsum; unde pluries hæmorrhagiæ emortuales. Cancer nisi integre auferri queat, relinquendus est. Uteri, linguæ, faucium, palati, axillarum, inguinum, insanabilis; Labiorum, palpebrarum, mammarum, nasi, balani curatu difficillimus. Cancer exstirpatus ferro facile recrudescit, vel minimo nodulo remanente, vel ex sanguine infecto, fermento cancroso, vel in priore vel alia parte resurgente malo; Quin in exostosin vel spinam descifcit ventosam. Ex scirrhis viscerum accedente motu humorum solidorumque auctiori, facile nascuntur cancri, ex quo viscera tota consumuntur. hinc aliquando suborta dysenteria miserrima.

Capitis dolor.

Quicunque sani dolore capitis repente corripiuntur, & statim obmutescunt, & stertunt, intra 7. d. moriuntur, ni febris eos apprehenderit. Si capitis dolores noctu incidant, calore lecti, mane bene habeant ægri, sub noctem semper iterum recrudescat dolor, & artuum osteocopi dolores juncti, citra febrim notabilem, de siphylitico cogita miasmate. Dolores capitis à ventriculo oborti, magis communiter anteriorem occupant partem, ab utero nati verticem ac occiput cum sensu frigoris in vertice. Caput cum ventre & venter cum capite singulariter consentiunt. Qui diu pallidi

lidi faciem habent tumidam, eos certum eſt aut capitis aut viſcerum dolore laborare, aut ſedem internam quodammodo male affectam eſſe. Magna autem ex parte non unum aliquod horum adeſt, ſed interdum multa, aut etiam omnia. Quæ diuturna circa radicem naſi cephalalgia, fit vel ex pituita vel oſſis vitio. Si dolor roſivus ac mordax, de vermibus cogita inhabitantibus. Alvus fere ſemper ſtringitur in morbis capitis. Fluxa ſemper ſolatio & contra obſtructa.

Dolor capitis & tuſſis ſæpe ſignum ſunt arthritidis prænuncium; & ex eadem remanente pluries cephalæa exoritur, ad delirium uſque ſæva. Solvitur cephalalgia ſucceſſiva remiſſione maxime in juvenibus, nondum aſſuetis, & cum excretione ſanguinea, eruptione catarrhoſa è naribus, oculis, in malo graviore eruptione puris ex naribus vel auribus. Capite dolenti ſi pus aut ▽a aut ſanguis fluït per nares vel os ſolvit morbum. *Hipp.* Solvitur porro aliquando dolore genuum vel alius articuli; ſputis craſſis, inodoris, quin etiam ulcuſculorum ubertate, nonnunquam & ſomno & alvi profluvio; *Wepfer. Hipp.* polypo narium membranaceo-pituitoſo, inodoro, fœtido, periodice excluſo, quod bis obſervavi; puris effluxu ex cantho oculi majore, quod ſemel annotavi; hæmorrhoidibus, menſtruo fluxu; tremore brachii, manus, protracto; vomitu, maxime hoc quidem biliofus & hypochondriacus capitis dolor. Inveteratam refert abactam vulnere gravi ad ſuturas capitis *Hildanus*.

Ce-

Cephalalgia cum ſopore in ſenibus apoplexiam vel paralyſin; in acutis cum vigiliis periculum delirii prænunciat. Urina ſubjugalis ſemper mala capitis præmonet. Hæmorrhoides cruentæ nimiæ vel anomalæ cum cephalæa ſæpe alternant. Item cephalalgia & miliaris efflorescentia ſæpius ſeſe invicem excipiunt; æque cardialgia.

Cephalalgia firmiter fixa, quæ lippitudinem vel anteivit vel conſecuta eſt, periculum cæcitatis adfert. Cephalalgia continua & contumax ſæpe tranſit in lethargum, epilepſiam, apoplexiam, cæcitatem, ſurditatem, phrenitidem, melancholiam, paralyſin. In capitis dolore ubi diſtenſiones nervorum ſubſequuntur, ſummum adeſt periculum. Dolores capitis poſt ſudores criticos evenientes, mortem utplurimum præſagiunt. Capitis dolor cum ſopore & gravitatis ſenſu quandoque convulſionem accerſit malo omine, facilius id quidem in gravidis. Longinquus capitis dolor ſine cauſa vexans, ſi in cervices atque ſcapulas tranſit, rurſusque in caput revertit, pernicioſus eſt, niſi ſputis vel ſanguinis profluvio vel capitis porrigine vel puſtulis in toto juvetur.

Torpor & prurigo ubi modo per totum vagantur caput, modo in parte, aut ſenſus aliquis frigoris ibi eſt, eaque ad ſummam etiam pertingunt linguam, malum judicato grave; Ex abſceſſibus auxilium ſperare licet, qui vero raro ſubſequuntur. Cephalæa ex cranii carie peſſima eſt, pertinaciſſima. Sub cephalæa atrociſſima caries cranii aliquando inducitur. Hemicrania

micrania & clavus pluries ſunt ex vitio primarum viarum vel arthritica materia. Hemicrania libenter in arthritidem plenariam abit. Quo magis dolor ad illius lateris brachium uſque ſe extendit & æger de obdormitione iſtius queritur, eo magis hemiplexia vel paralyſis illius lateris metuenda. In feminis non amplius menſtruantibus vix unquam amplius tollitur, maxime periodica & typica. *Junck.* Solvitur hæmorrhoidibus & menſtrua purgatione. Hemicrania juniores activos maxime cruciat in latere dextro, adultiores arthriticos in lævo. Quandoque accedunt convulſiones epilepticæ. Hemicraniæ feroſæ ceſſanti aliquando ſuccedunt abdominis dolores acerbi. *Piſo.* Enormi ex dolore cephalico ſuturas laxari & à ſe dehiſcere, notum eſt. *Pechl.* Omnes morbicapitis qui ab inflammatione inteſtinorum peſſimi.

Cardialgia. Soda.

Quibus cum cardialgia crebrius accedente icterus ingruit, calculo facile laborant felleo. Quibus ulcera crurum manantia accedunt, liberantur. Cardialgia & ſoda cum hemicrania, arthritide, nephritide ſæpius numero alternant. Solvitur ſæpius hæmorrhoidum, menſium fluxu, & his interceptis pluries naſcitur. Solvitur purpura varia; vomitu cruento, aſt non æque ſecundo ſucceſſu. Dolor oris ventriculi ſeniori crebro adveniens, repentinam mortem denunciat. Vidi cardialgiam chronicam rubefaciente, per errorem loco ſtomachalis cataplaſmatis ventriculo

triculo ſuperdato, veſicis zonæ inſtar excitatis cum inflammatione eryſipelatode multis ſublatam feliciter in bibone. Terrorem, mœrorem diuturnum facile inſequitur cardialgia. A ſpaſmo cardialgico vidimus cartilaginem xyphoidem introrſum tractam. Cardialgia ſpaſmodica ſæpe in epilepſiam tranſit. Periculoſa eſt, ubi convulſiones, ſyncope, lipothymia, frigus &c. ſuperveniunt. Peſſima, ſi à bile æruginoſa, atra, porracea, ex lacte coagulato, in febribus acutis, petechiis, purpuratis, malignis, (quod maxime in ſtatu fit) à vermibus, venenis, inflammatione, ulcere, ſi doloribus arthriticis retrogradis ſupervenit, æque fœdis externis exulcerationibus, dyſenteriæ incaute ſuppreſſæ, parotidibus repulſis &c.

Salutis ſpes eſt ſi per intervalla adfligit; ſi per conſenſum accidit; ſi à pituita viſcida, licet hæc paulo contumacior ſit, minus periculoſa; ſi à flatu pariter. Si dolor indeſinens, diuturnus, ſocii vomitus, tormina, cum abſumtione corporis, ſolidorum ſubeſt vitium, v. g. ſcirrhus, ulcus, cancer.

Soda frequens eſt ſymptoma hypochondriacorum, arthriticorum, nephriticorum. Soda & tranſpirationis negotium, hinc cutis volumen, magnam invicem habent conſenſionem.

Cata-

Catalepsis.

Est morbus rarissimus, ac sub frigore intensissimo maxime invasiones obveniunt. Aliquando hic morbus non animadvertitur in febribus validis sanguineorum. Sæpe jacent cataleptici iam. Intelligitur tandem si adspiciunt oculis immotis & ad interrogata non respondent. *Boerh.* Respiratio & pulsus supersunt, at plerumque leves. Curabilis est, quæ à vermibus; Quæ ab animi passionibus, profundis meditationibus non adeo grave minatur periculum; gravissimum metum incutit, quæ à sanguine crasso, impuro, v. g. venereo. Tollitur aliquando per hæmorrhagiam largam, (*Ætius*) hæmorrhoidum, mensium, fluxionem. *Dol.* Definit aliquando, sed raro, in melancholiam, epilepsiam, convulsionem, cachexiam, hydropem, dementiam, *ἀτροφίαν*, apoplexiam. In mortem plerumque finitur. Qui hoc morbo rapiuntur, nisi mature curantur, stupidi, ac velut frigore quodam enecti moriuntur. Novimus catalepsin in pleuritide critice critico die incidentem in femina.

Cholera.

In cholera, ut in acutis, incerta est prædictio. Nullus nisi forte pestem & pestilentiales febres exceperis, exitus est brevioris, tamque cito homines jugulat, morbus, quam cholera, maxime infantes, senes, enervatos. Periodum

fere obſervat tertianariam, ita nempe ut de tertio in tertium moveatur diem, ſeu plus, minus, exaſperetur. *Jungk.* Aliquando eſt epidemica, valde maligna & letalis. Quo magis excrementa à ſtatu naturali recedunt, eo periculoſior morbus, v. g. ſi livida, nigra, aut loturæ carnis ſimilia. Vehemens ſitis malum indicium. Malum, ſi compreſſis excretionibus cætera remaneant ſymptomata. Periculoſus morbus eſt, ſi acuti dolores & torſiones incidunt, & ſupra infraque magno impetu humores, præſertim virides, atri, cauſtici, prorumpunt, ac ingens afficit bibendi cupiditas, facies flaveſcit, pallida fit, pulſus parvus & conciſus eſt. Mortem indicunt animi deliquia, ſingultus, pulſus intermittens, convulſio, ſudores gelidi; ſi fœtida rejiciantur, intra 4. d. necantur. Inflammatione pereunt gangrænodea. Inflammationem in ſphacelum abiiſſe, non leve eſt indicium, ſi pulſus totus concidit, crura contrahuntur, frigidæ ſudationes fiunt, anima deficit. Spes affulget, ſi morbus ultra d. 7. protrahitur, ſi conquieſcunt vomitus cum inſequente ſomno & levamine; flatuum per inferiora eruptiones. Cholerici facti dyſurioſi judicantur omnes. Cholera ab abſceſſu ſtomachi vel meſenterii vel epatis vel inteſtinorum rupto non protinus pertimeſcenda ut fatalis. Cholera facile degenerat in iliacam paſſionem.

Ex corporis impuritate facile evenire poteſt, ut humores in tantum corrumpantur, ut ex ipſis ſic corruptis generetur in corpore vivente venenum aliquod afferens omnia ſymptomata

vene-

veneni aſſumti & externi. Hæc habemus in cholera. *Zach. Camer.*

Cœliaca. Lienteria.

Cœliaca ex dyſenteria eſt calamitoſa. Paſſio cœliaca mitiorem conſtituit gradum, lienteria majorem. A cœliaca ſumma corporis debilitas ſequitur, hydrops, tabes. Quæ à ſcirrheſcentia glandularum meſenterii, inteſtinalium, pancreatis, vel etiam ulceratione, peſſima. Subſequitur abdominis tenſio, ἀτροφία, cachexia, anaſarca. Corpus non amplius nutritionis capax eſt.

Fluxus cœliacus & lienteria in infantibus magis quam adultioribus frequens eſt. In corporibus cacochymicis ſæpe in dyſenteriam transmigrant, in mulieribus prægnantibus pernicioſus eſt affectus.

Potus glaciati multum tribuunt ad lienteriam. Popularis quandoque notatur lienteria. Lienteria quandoque ægros trahit, quandoque præcipitat. Lienteria ex dyſenteria eſt calamitoſa. Qui ſplenetici dyſenteria corripiuntur, eaque ſi longior fuerit, his hydrops lienteria ſupervenit, & moriuntur. Lienteria facilius à teneris depellitur ætatibus, utique, ſi ferri urina & cibo corpus ali incipit, provectioribus difficillimus eſt. Bonum ſignum ſi urina larga; ſi corpus ſine febre, nutriturque, ſi flatus κάτω exeunt cum dejectione; ructus acidi revertentes, maxime in diuturna. *Hipp.* Lienteria in ſcorbuticis difficulter admodum curatur; facile abit in cache-

xiam ſcorbuticam, atrophiam, mortem. Lienteriæ cum ſpiritus difficultate & lateris dolore, pectoris morſu, ad tabem tendunt. Longe detenti lienteria cum ſæviſſimis ulceribus, inteſtinorum cruciatu, iis ſolutis, intumeſcunt. Quibus accedens rigor malo eſt. Malum valde ſi lienteria cum ictero, hydrope, tertianis, lentis febribus complicatis. Peſſimum in lienteria, maxime, ſi longinquus eſt morbus & in corpore ſenili, ubi æger pro modo potionis ſumtæ non meit, ſi os ipſi exulceratur, rubetque facies, & quaſi maculis quibusdam colorum omnium diſtinguitur, ſi appetitus perit, urget ſitis, ſi excreta levia, fœtida, nigra, & diu noctuque frequens dejectio.

Colica.

In colica pertinaci ſi ſudor copioſus & univerſalis ſuperveniat, labefactatis & reſolutis viribus, brevi pareſin expectato. *Bagl.* Ceſſante paralyſi redit dolor conſuetus, maxime ſi febris ſocia fuerit antehac, jam quoque recurrens. Arcanus eſt conſenſus ab inteſtinis ad ambitum corporis. Magna eſt ſympathia ab inteſtinis ad urinam. *Rega.* In colica ſemper de hernia inquirendum, bilisque defectu, turgeſcentia, qualitate. In diris ventris cruciatibus urina ſiſtitur.

Urina colicorum toto morbi progreſſu pauca, eaque flava admodum redditur, atque ſi cum febre, prius turbata quæ fuit, ſub exacerbatione ejusdem recurrente, clara iterum fit.

Quæ

Quæ & à nephritico dolore diſtinguit. *Piſo.* Frequentiſſime alioquin eſt cum ſedimento, lateritio, quale in febribus intermittentibus, remittentibus atque ſcorbuto habemus. Colica, diarrhoea & dyſenteria mutantur in arthritidem, & contra. Multis ante invaſionem paroxyſmi podagrici ſuperveniunt dolores colici, qui evaneſcunt, modo manifeſtata podagra. Multum ſubeſt periculi, ſi cum actuali horrore invadit, atrociusque adfligit, ſive convulſiva, ſive ſpaſmodica, ſive bilioſa, ſive inflammatoria ſit. Solvitur colica ſudore largo, fluxionibus ſanguineis, eryſipelate, purpura, maculis ſcorbuticis, podagra, ictero, arthritide, diarrhoea, furunculis muſculorum abdominis, ulceribus crurum manantibus, ſcabie &c.

Colicis ſæpe ſuperveniunt & paroxyſmum ſolvunt icteri, maxime in hypochondriacis & hyſtericis. Bilioſam quandoque ſolvit aurigo & diarrhoea bilioſa. Aliquando tranſit colica in abſceſſum (ſi dolor fixus & febris adeſt) quandoque in hydropem; Interdum in volvulum migrat, idque intra 7. diem. Colica cum alvo adſtricta pertinacius ſemper ac vehementius adfligit. A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, ſuppuratio. Colica quo violentior, eo brevioris periodi & temporis plerumque eſt. Periodica & epidemica notatur. Singultus ubi colicæ præter conſuetudinem ſupervenit, diri ominis habendus eſt. Ex doloris tyrannide aliquando infert colica epilepſiam, convulſiones, affectus ſoporoſos, apoplexiam, mortem. Si dolor repente ſine cauſa

ceſſat, peſſimum. Si conformationis vitium ſubeſt, raro aufugiunt mortem. Colica ex abſceſſibus viſcerum ventris peſſima. *Beniven.* Colica accidere ſolet in virginibus ac muliebribus ob ovula tumentia matura. *Santorin.* Colica ex molis, polypis, calculis inteſtinorum, non eſt immedicabilis.

Excrementa non nimium retineri dolorem locum ſedemque mutare, poſt excluſos flatus, ſtercora, levari ægrum, licet redeat affectus, durante morbo ſemper facile ſpirare, tormentum intermittere, ſalutem brevi promittunt.

Mortis criterium habe, ſi vigiliæ, ſudores frigidi, ſingultus creber, delirium, convulſio, extremorum refrigeratio, ſyncope, à morbi vehementia ſuperveniant, præprimis in ſenibus, gravidis, puerperis, valetudine fractis. Aphonia & vox rauca eſſe ſolet non raro prodromus convulſionum in colica. *Bagl.* Convulſiva ſi in epilepſiam, pareſin, iliacam degenerat, fere letalis eſt.

Colicam ſpasmodicam vertiginoſi affectus frequenter præcedunt aut ſequuntur. Familiaris eſt ſcorbuticis, venereis, & pertinaciori à febre non rite liberatis. Ingraveſcens dolores in artubus accerſit, ac demum in paralyſin terminatur. *Hiſt. Vrat.* In colica ſcorbutica abdomen quandoque ita retrotrahitur, ut ſpinæ dorſi ſibi obverſæ pene contiguum fiat; ſæpius etiam abdomen hoc in morbo tractim, vermicularem in modum, extuberat, ſtrepentibus interea flatibus. Magis eſt in lumbis meſen-

meſenterio, muſculis abdominis, quam inteſtinis. Dolores ventris ſcorbutici omnes ſuperant reliquos, ad peritonæi enim rupturam usque ſæviunt. *Eugal.* Non raro in epilepſiam vel paralyſin deſinit. *Ægineta.* Colica arthritica ſemper eſt periculoſa, ſæpe letalis. Si pectoris gravitas, ſi inteſtinorum dolor, præcipue pungens, alvi tarditas, diu perſtiterint, malum. Niſi arthritide in extremis firmiter hærente, firma nunquam ſpes eſt incolumitatis, & contra. Colica hæmorrhoidalis eſt valde contumax & vehemens, facileque inflammationes, indurationes viſcerum, icterum, aſciten, relinquit. Cedit optume varicibus, fluxui hæmorrhoidali recti, diarrhoeæ mucoſo-ſubcruentæ; Notavi ſolutam excretione cruoris grumoſi per os naresque. In colica bilioſa ſuccedit frequenter aphonia & vox rauca, ac per totum fere curſum ægritudinis durat. Inflammatoria triduo finitur varie, vel in ſalutem vel mortem, inflammationum more. Facile in volvulum tranſit. Si coli dolor uno in loco, absque febri, alte ſtabilis, eumque nec flatus nec ructus lenit, cum tormento terebelli quaſi pertundentis ac pene ſpiritum elidente, ſocio vomitu vario, æruginoſo, pituitoſo, porraceo, pituita ſubeſt tenax, craſſa, vitrea, quod prædicito tum. Contumax eſt & diuturna, facileque fit habitualis.

Convulsio. Spasmus varius.

Prognosis affectuum spasmodicorum & convulsivorum dubia est temporique relinquenda. Convulsio horrendum malum est, sed non adeo fatale. Brevi & facile cedit si recens adhuc, si in junioribus, εὐσπλάγχνοις. Quæ ab evacuationibus sanguineis suppressis, his reductis mitigatur, abigitur. Si hæreditarium, chronicum vitium, item in impuris corporibus, malum. Transit in epilepsiam, melancholiam hypochondriacam, paralysin. Necat apoplexia. Convulsio in febre oboriens & eodem die desinens, bona est, aut 3. d. febrem sedat; si vero 3. vel 4. d. transgreditur, malum. Hysterica vel hypochondriaca passio si junctum, noxa pejor est. Convulsiones minantur acuta vox & lugubris & oculorum obscuratio ac respiratio intercisa, titillationes vel tensiones in vola manus, tendinum subsultus, manus tremula, cervicis & dorsi perfrictiones, spumantes mictiones cum animi deliquio, lumborum & capitis ac oris ventriculi dolor, cum forti exscreatione. Urina prius tincta, simul & semel subito prorsus ▽ea reddita; tenuis & alba; subjugalis junctis vigiliis; dolor artuum ostocopus; si ægri non possunt discernere colores. Singulares obveniunt motus convulsivi cum sensibus maximam partem integris, & contra sensuum motusque privatio accidit sine ullis partium externarum spasmis, sexu quidem in utroque, maxime autem sequiori. *H. Vrat.* Si ebrius repente obmutuerit, convulsus moritur.

tur, niſi febre corripiatur. *Hipp.* Febrem convulſioni ſpaſmoque ſupervenire, melius eſt, quam febri convulſionem ſpaſmumve. Hoc vero vere minus in pueris periculoſum. *Hipp.* Convulſiones, ſpaſmi, à repletione non ita ſunt timendi, uti illi ab inanitione, qui fere letales, maxime ſi cum inflammatione interna. Quibus in convulſionibus oculi intente ſplendent, his mens non conſtat, & diutius morbum trahunt. Convulſio paraphlegiæ ſuperveniens quandoque ſolvit eam. Solvunt convulſionem febris, urina, alvi fluxio, ſomnus, menſtrua, hæmorrhoides. Convulſiones in febris principiis morbi magnitudinem teſtantur; ſed minus ſunt periculoſæ, quam quæ in ſtatu contingunt citra ſigna coctionis in urina.

Urina craſſa & turbida in morbis ſpaſmodicis ac convulſivis, bona: tenuis & alba, mala. Convulſio in febribus puerorum non ita letalis eſt, ut in illis adultorum. In febribus ſubito, ſine ſignis præviis nata ex ore ventriculi, non timenda; protinus tollitur vomitu.

In febribus acutis convulſiones, ſpaſmi, & circa viſcera dolores fortes, malum. Malæ ſunt quæ comatoſis ſuccedunt, & in febribus, una cum pavoribus maxime, à ſomno accidunt. Peſſimæ quæ in mente captis ac phreneticis; quæ à doloribus maxime capitis & aſſiduis vigiliis; quæ à nervis vel tendinibus læſis, idque magis vel minus pro partis dignitate. Ex tremoribus letaliſſimæ. Si poſt inſigniſſimam virium luctam particularis obvenit convulſio, ſpaſmus, v. g. labiorum, oculorum,

narium, mors in propinquo eſt. Ubi ſanguis multus fluxerit, nimia inciderit purgatio, ſingultus aut ſpaſmus aut convulſio, malum. Obvenientes junioribus frequentius ſpaſmi, annis adauctis arthritidem, ſenibus minus aſſuetis apoplexiam, aſthmata convulſiva, paralyſes, minantur. *Stahl.* Quos tetani vis magna exercet, intra 4. d. intereunt, quodſi hos effugerint, levantur, & liberi evadunt; Ubi moritur aliquis, potionem & ſorbitionem & pituitam per nares extrudit. *Hipp.*

Ὀπισθοτόνῳ detentis reſolutæ maxillæ mortem afferunt, quin etiam letale eſt ſudare ac corpus diſſolvi, & per nares revomi, ab initio vox defecta, clamor, nugatio; poſtridie fere moriuntur. Febres cum ὀπισθοτόνῳ urinæ ſolvunt genitale ſemen referentes. *Hippocr.* Spaſmus dolorificus quandoque remedio eſt.

Spaſmus maxillæ inferioris adultorum morbis ſpaſmodicis quandoque accedit & medicabilis eſt. Aliquando per metaſtaſin incidit ex rhevmate nuchæ, capitis, ſanabilis. Vidi chronicum, biennem, ex dente carioſo, ſæviſſimum, odontalgicum, ſimul & hunc maxillæ, inducente. Spaſmus penis obvenit in podagricis & hæmorrhoidariis irregulariter laborantibus, doloroſiſſimus plurimum aliquando cum chorda, non immedicabilis ſi recens, in firmo corpore.

Priapiſmus, ubi coles quaſi & ano diſtentus eſt, metum habet, ſi pergat, inflammationis & abſceſſus penis; quandoque excipit rigiditas. Si à ſeminis copia in nonnuptis, paraly-

ralyſis, mania, furor, ſequitur ſæpiſſime. Cervicem diſtorqueri & caput obſtipum vitio muſculorum cutisque fieri, animadverſum eſt.

Pertinax malum ac rebelle ſunt motus ſpaſmodici vagi. Quandoque 7. 9. 14. d. ſolvuntur ſi à cauſa externa, aſſumtis. Chronicum ſæpiſſime mutantur in morbum, œdema, ulcera, ſtuporem artuum, ſoporoſos affectus, epilepſiam, apoplexiam, fatuitatem, diarrhoeam, nyctalopiam, cæcitatem, ſurditatem. Qui à cauſa externa & aſſumtis in ætate vigente, ſine diſpoſitione congenita, recentes, ſæpenumero feliciter diſpelluntur; item, qui à dyſcraſia ſcorbutica, venerea, ſaburra primarum viarum varia, vermibus, acrimonia lymphæ & ſeri, ex podagra retropulſa, *Hoffm.*

Cordis palpitatio. Polypus.

Palpitatio arteriarum abdominis in gravidis bene eſt diſtinguenda à cordis palpitatione; Æque illa in hypochondriacis atque hyſtericis à ſpaſmo & flatulentia eveniens. Qui in juventute aut magis conſiſtente ætate, palpitationes cordis ſæpius experiuntur, haut facile conſeneſcunt, ſed utplurimum frequenter animi deliquia incidunt, tandem necantia. Sed tamen 7orii dantur per omnem vitam vexati palpitatione. A quacunque exoriatur cauſa, non eſt negligenda. Si palpitatio à polypo, anevryſmate non per intervalla ſed continuo ægrum moleſtat, ex leviſſimo exaſperatur motu, facies pallido aut alio morboſo ſuffuſa eſt colo-

re cum symptomatis, hydropi affinibus. Si vero ab acri irritante, spasmo, per intervalla tantum adfligit, præsertim post animi pathemata & facies naturalis manet. *Bagl.* Maxime timenda est palpitatio frequens, magna, fortis, contumax, cum anhelitu, animi deliquiis & pulsus inæqualitate. Funesta est, si syncope, catarrhus suffocativus & convulsiones superveniant. Medicabilis est quæ à scorbuto, affectione hypochondriaca, hysterica, ab interceptis mensibus, hæmorrhoidibus, cachexia. Hypochondriacorum levior est quam scorbuticorum, ubi lipothymiæ facile junguntur, & aliquando subito catarrhus suffocativus necat. Incurabilis quæ à polypo, inusitata cordis magnitudine à vermibus, pilis, calculo, anevrysmate, abscessu in corde, ab hydrope pericardii, à pericardii vitio proprio.; Sic aliquando alte verrucosum vidimus totum instar radulæ, elatioribus grandioribusque prominentiis sive asperitudinibus fabricatæ.

Meminimus cordis palpitationis insignis, chronicæ, summe anxiferæ cum vertigine, tandem serpigine pectoris notabili ablatæ in vetula bibone. Facilis est migratio à palpitatione cordis in asthma convulsivum, hæmoptoën periculosam, φθισιν, cachexiam, hydropem pectoris, anasarcam, paralyticos affectus, morbos convulsivos, tandem mortem repentinam. Quibus accedit œdema manus, posthæc brachii, signum est impedimenti polyposi circa cordis ventriculum vel auriculam; aderitque spirandi difficultas, morbo ad interitum properante

ægri,

ægri. *Bagl.* Polypi in regionibus ſeptentrionalibus magis quam calidioribus frequentes ſunt. Polypus cordis diſponit ad pectoris, capitis & uteri morbos. Qui ex polypo cordis moriuntur, hi paulo ante mortem tumore pedum œdematoſo vexari incipiunt, mox cachexia, hydrope tandem, vel alterutrius manus, brachii quoque, maxime lævi.

Polypus præcavetur ſatius quam curatur. Recens non omnem autem eludit artis potentiam. Diuturnior cordis palpitatio, eaque ex levi cauſa recurrens; pulſuum inæqualitas & cum lipothymiis intercurrentibus ſæpe juncta intermiſſio; frequentius ſpirationis ſine cauſa manifeſta impedimentum cum anxietate vel compreſſione circa cor; titillationis in- & exſpirationis tempore circa cor contingentis ſenſus; manus, brachii unius vel alterius, lævi maxime, œdema accedens præcipue polypum cordis ſignificant. *Hoffm. Bagl.* Inveniuntur polypi plurimum in arteriis, rarius in venis. *Boerh.* Raro polypoſi ſine præcedente aut regulari aut irregulari febre moriuntur. Eventum polypoſis quidem bonum nequaquam polliceri poſſumus, ſed non ſemper, ubi polypum cordis ſuſpicamur, mors annuncianda eſt, dum per multos annos ad ſenium intus geſtatur ſub bona diæta. *A. N. C.*

Dia-

Diabetes.

Diabetes verus affectus est rariſſimus. *Galen.* Affectus anginodei plurimum antecedunt diabeticos. In ſenioribus periculoſior eſt quam in junioribus. Acutus diabetes verus eſſe conſuevit & absque mora ad marcorem totius abit mortemque adfert, quam proxume inſtare, convulſiones aliaque gravia denotant. *A. Wedel.* Diabetici ſæpe peripnevmonia extinguuntur. Quo diutius duravit ſymptomaticus, eo paucior reſtat ſpes. Quanduque ad annum protrahitur, donec æger confectus ac viſceribus induratis emoriatur. Ad ſalutem terminatur, ſi fluxus nimius & æſtus ſedetur. Symptomaticus frequens eſt hyſtericis, hypochondriacis, isque periodicus. Incurabilis eſt plerumque, ſi poſt immodicum laborem, nimiam venerem, chronicas febres, à prava & diuturna conſuetudine liquorum ſpirituoſorum ingurgitationis, *Ettmull.* Curabilis eſt ſi à ſaburra coli renem comprimente ſiniſtrum. *Hoff.* Qui in hecticis ſtomachicis & inteſtinalibus, in dentitione difficili, verminatione, in ſenibus chronicis intermittentibus preſſis, ex diutina obſtructione ureteris per calculum (*Hoffm. A. N. C. Sydenh.*) præſagii rationem in principe quærit noxa. Eſt diabetis ſpecies quæ cœliaca urinalis dici poteſt, quando chylus c. lotio exit.

Diarr-

Diarrhoea.

Fluxus ſæpe fluxus remedium; ſic v. g. diarrhoeæ urina copioſa, vomitus. *Hipp.* Vix fit diarrhoea, niſi ſimul compatiatur ventriculus. *W. Wedel.* Chronica ſæpe accidit ex vitio ſolidorum. *Brunn.* Tertianæ typum quandoque ſervat, cui eadem facit medicatio. *Comm. Lit. N.* Diarrhoea & colica mutantur in arthritidem & contra. *Hipp.* Narium rubores alvi liquidæ & diffluentis ſunt indicia. *Hipp.* Vices ſæpe ſupplet cum euphoria lochiorum; fluoris albi; hæmorrhoidum, febrium intermittentium, recidivarum. menſium ſuppreſſorum. Una die fluere alvum, quin & pluribus, ſæpe pro valetudine eſt, modo abſit febris, & intra 7. dies conquieſcat. *Celſ.* Diarrhoeæ periodicæ, præcipue circa æquinoctia, per plures dies immo aliquot ſeptimanas plus ſæpe, ſeroſæ plurimum, eveniunt perdurantes, ſine febre, ſine virium proſtratione, ſalutares ſane, maxime in hypochondriacis, hyſtericis, niſi turbentur. *Stahl.* Quos longa exercent alvi profluvia, his pedes intumeſcunt. Alvi profluvio una cum tuſſi longo tempore qui detinentur, non liberantur, niſi in pedes inciderint dolores vehementes. *Hipp.* Diarrhoea quandoque tollitur purpura, maxime torminoſa, diuturna, æque ſudore vomitu, urina copioſa, quaſi diabete ſpurio, ſtranguria. Inveterata alvi profluvia per venerem exſiccantur. *Ætius.* Bonum ſunt ſignum flatuum per inferiora eruptiones, & ubi contrectato manu ventre nul-

lus

lus subeat motus, cessaturum fluxum denunciabis. *Hipp.* Alvi excrementa liquida, quæ in progressu morbi sensim crassescunt, bona. Diarrhoeæ biliosæ, serosæ, non excedentes, in principio febrium utiles sunt, dum materiam morbificam imminuunt, excipio tamen eas, quæ cum phlegmone viscerum sunt. Fluxus sanguinis atri, alii nigri, fœtidi, æruginosi, per alvum critici quandoque esse solent in ventris morbis, maxime diuturnis lumborum doloribus, dummodo hypochondria mollia sint, febrisque absit. Sub notis pepasmi alvum aterrimam ne metuas, maxime si medicamentis talia exigantur.

Si balbi alvi profluvio corripiuntur, longum potissimum est idem, *Gal.* Diarrhoea arthritica, quæ per se accidit, si modum non transeat, sæpe salutaris est in ἐυσπλαγχνοις; contra, si ab assumto catarctico vel cruditatibus, incerti eventus erit. In acutis, malignis, quæ fit die critica, cum facili tolerantia, apparentibus signis coctionis, est bona nec turbanda. Æque in declinatione febrium contingentes, salutares haberi debent. *Sennert.* Diarrhoeam in acutis futuram significant dolores circa umbilicum cum palpitatione; si venter murmure quodam fluctuat, rugitque & pungitur; mox gravitas & dolor intus oritur, primum circa lumbos, hinc ad imam ventris partem delapsus &c, cum sudore deficiente, urina parca, cruda, æstu intenso sociis. Liquidissima excrementorum consistentia, morbo ad judicationem eunte, denunciat non adesse criticam morbi solu-

solutionem. Ea crassior sit oportet, subfulva, non graveolens; Utile quoque si præsentes lumbrici simul exeunt. Alvum cruentam in acutis prædicit carotidum insolita cum subsultu micatio. Deprehendimus diarrhoeam biliosam male exceptam in chronicam cruentam versam. Observavi diarrhoeam fœtidissimam cum pedum fœtidissimo largissimoque sudore alternantem in juvene robusto, nullius diætæ. Diarrhoeam sæpe excipit dysenteria, & hanc diarrhoea vel lienteria. Diarrhoea si succedit, licet vires dejiciat, firmiorem in posterum sanitatem pollicetur. Diarrhoeæ symptomaticæ ni necent, abeunt in hydropes vel lienterias. Ex alvo liquida cum sudore algor in acutis & chronicis malum. Malæ sunt in acutis paucæ, vel paucæ, vel quæ mox ubi cœperunt, desinunt; malæ, biliosæ, vitellinæ, mordentes, in ardentibus, morbo adhuc crudo. Mala cum inappetentia, ἀγρυπνία, acerbis torminibus, virium dejectione, quæve cum hemitritæa. Mala omnis copiosior dejectio in quolibet morbo; & si cum ventre subtumido & crescente efferatur pessima. Dejici nimium, nimis dolorose, insensibiliter valde ▽sum aut album, aut ex viridi pallidum, aut vehementer rubrum, aut spumans, exiguum, sincerum, glutinosum, candidum, læve, ubivis mala sunt, maxume in acutis omnia. Letalia magis, nigra, pinguia, livida, æruginosa, fœtida, varia, inæqualia &c. *Lomm.* Fluxus alvi porracei ac virides vel mortem vel diuturnum morbum significant, potissimum in acutis, ac in morbi maxime principio, cum pri-

primisque si cum nimio fœtore fuerint. Periculosæ admodum sunt in pectoris morbis; puerperis & infantibus febre maligna correptis; *Waldschm.* si febris accedit, inflammatio, sitis immodica, diuturnitas, tormentum doloris, varietas excretorum. *Cels.* Perniciosæ cum elatis hypochondriis, maxime in iis, qui ex longo intervallo contabescunt. Perniciem intentat alvus fluxa cum voce tremula perseverans. Diarrhoeæ ex mœrore, persistente eodem; incurabiles fiunt, ac superveniente febre letales erratica & ἀτροφία. *Waldschm.*

Dysenteria.

Medicus sit cautissimus, nec promittat certo convalescentiam neque in principio neque declinatione. *Hofm.* Præcedit dysenteriam fere semper diarrhoea, interdum autem tumor aliquis sive distensio abdominis.

Quandoque in principio simulat diarrhoeam benignam, pedetentim vero malitiose emergit dysenteria, quocirca consideretur epidemia specialis. Singultus in principio morbi non ita funestus est, ac in progressu. In hystericis ceteroquin gravia symptomata benignius sunt interpretanda. Plus periclitantur senes ac pueri, quam in media constituti ætate. Viris magis funesta est quam feminis. Lactentes securius laborant. Gravidæ frequenter per partum subsequum citra omnem fetus noxam exsolvuntur. Qui quondam hydrargyrosin sustinuere, facile in dysenteriam labuntur. Hanc

ægri-

ægrimoniam rarius experiuntur melancholici. Dysenteria & arthritis se mutuo pluries excipiunt. Mutatur in ulcera pedum & manuum fœda volvulum. Transit, haut raro funeste, in hydropem, lienteriam, tabem, cœliacam, hecticam. In puerperis, sensibilioribus feminis, facile jungitur hysterica passio. Dysenteria atrocior primo, mitior secundo septenario, terminatur. Aliquando ultra d. 40. extenditur, prouti febris juncta est. Dies 7. 11. & 14. sunt magis fatales, maxime in febrili maligna. Hypochondriacis dysenteria superveniens, salutaris, si ab interceptis hæmorrhoidibus, non ex intemperantia; si non longa sit, alias enim vel in lienteriam vertitur vel hydropem, funesto eventu. Quæ à fructibus horæis magis benigna, quæ à tempestatum injuriis magis maligna esse suevit. Si ex alio morbo jam infirmum adgreditur, v. g. phthisicos, cachecticos, raro homo servatur. Paralysis unius brachii & pedis alterius lateris dysenterica, maxime in epidemica, maligna, occurrens, utplurimum stipata abolitio omni sensu, vel doloribus arthriticis nonnunquam, si rite tractetur, sanabilis est, ut omnes nothæ paralyses. Manet vel in iisdem membris vel ad opposita transmigrat. Corripit facile, plethorico-cacochymicos, biliosos, antea arthriticos, ulceribus antiquis vexatos; in quibus omnis perit sensatio difficilius curantur. In senibus, valetudinariis, debilibus transit sæpe in marasmum, hecticam, apoplexiam. *Fabric. Helmstad. Diss. pecul.* Crassa intestina facilius morbum ferunt quam tenuia. Si dolor circa umbilicum altior,

valde vehemens, fulminis instar transiens intestina, plus intervalli inter dolorem, ac dejectionem, excreta exactius mixta; major febris p. r. n., indicium est affligi tenuia, si his opposita, crassa; si utraque affecta, primo dolor erit acutissimus, deinde obtusior, excrementa cum sanguine pureve erunt permixta, & simul illis cruor & materia purulenta supernatabit. Crassis intestinis affectis utplurimum febris nulla est; tenuibus vero contra, magisque humorosæ ac dolorosæ sunt dejectiones; ventriculo correptv præter febrem & dejectiones adest vomitus. Exanthemata sociata non semper funesta sunt. Dysenteria ex arthritide anomala sive interna mediocris, optima, & si cum virium constantia, critica; Insultus sæpe repetens nunc in abscessum, nunc ulcus degenerat intestinorum, morbos ærumnosissimos. *Musgrav.* Urina pauca, rara, immo per aliquot dies nulla, incommoda creat insignia, potulentis licet copiose assumtis, mox per intestina prolabentibus. Venus difficultati intestinorum medetur. *Hipp. Amat. Lusit.* Malum, si dysenteria à sincera dejectione; si ab atra bile incipiat; si in corpora impura, enervata incidat. *Hipp.* si à contagio; si cum febre (quo exquisitior hæc, eo plus periculi, utpote quum inflammatoria sit); si alba, idque magis, si cruenta rejectio cum reliquorum symptomatum incremento desinat. Plerumque fatalis est diuturnis animi perturbationibus maceratis. Exitii notæ sunt: animi deliquium, singultus, vomitus protracto morbo, cardialgia, anxietas

præ

præcordialis, excrementa viridia, nigra, cinericea, livida, fœtida, ichorosa, lumbrici cum stercoribus ejecti, (nisi sumta medicamina eosdem expellant) anus arcte clausa, enemata mox relapsa, vigiliæ immodicæ, sitis insatiabilis, extremorum frigus cum debili pulsu, internorum ardor, sudor frigidus, aphthæ, angina, deglutitio difficilis, deliria, subitanea doloris remissio sineque causa, indolentia in toto morbo, sanguis sincerus largiter singulo conamine egestus ne muco quidem intermixto, assumta cum murmure delabentia, excretæ carunculæ, convulsio, fecum sine sensu demissio &c.

Citam mortem annnnciant tubercula & maculæ nigræ post unam vel alteram aurem, manus œdematosus tumor. *River.* Mors præ foribus est, si labia livent, gene p. n. rubent, oculi concavi, extrema frigent, nasus aquilinus fit. Necat sphacelo. Gangrænæ testis est magna sitis, linguæ siccitas arida, remissio subita acerrimi doloris sine ratione. Salutem promittunt flatus pedendo emissi, qui prius non aderant, febris dolorisque remissio, simul eveniens. *Bagl. Sennert.*

Salutaris est quæ ob crus amputatum exoritur; æque grandis aliquando ante partum plerumque liberantur. Minoris est periculi, quæ citra febrile initium accedit. Dysenteriæ abortientium & puerperarum sunt periculosæ, maxime febriles, sed non semper, dum lochiorum vices supplent, vel materiam lochiorum per vicina loca optime minuunt. *Bagl.* Appetitus salvus salvum à labe ventriculum indicat,

 bonum-

bonumque præbet signum, & contra nausea augescens.

Vomitus spontaneus mox in primo principio, bonus, & præoccupat malum, si ex assumtis fuerit, contra, si serotinus.

Convulsio vix in morientibus accedit, si multum fuere enervati; Facilis est post adstringentibus compressam, ubi diebus criticis ordinarie hisce extinguuntur.

Mictus cruentus frequenter in junioribus sanguineis cum dysuria vel potius stranguria jungi solitus, morbo decrescente, ubi tenesmus urget, medicinis cedit. *Kramer.* Adstringentium, opiatorum intempestivus usus invitat infausto & periculoso omine febrem magnam, inflammationem, icterum, œdema, cardialgiam, singultum, colicos dolores cum alvo obstipatissima, exulcerationes, tympanitem, aphthas, dolores articulorum, paralysin, hecticam, intestinorum angustiam p. n., sphacelum eorundem, vomitum cruentum &c. Vomitus cardialgiam ex cohibentibus ortam solvunt. Vomitum cruentum ex adstringentibus ortum, dysenteria revocata, feliciter iterum sublatum, memini. Cruenta dysenteria suppressa alienis temporibus, facit abscessus ad viscera, biliosa ad articulos. Si in dysenteria adhibueris opiata, & altero mane oculorum ægri color est mutatus, vel frigus in ambitu corporis observatur, certe non superabit morbum, & contra revalescere potest. *Waldsch.* Tenesmus magis benignus est infantibus quam adultis, maximæ grandævis

vis. Illi ad menses aliquot quandoque ferunt, his haut raro est exitialis.

Ulcus dysentericum profundum difficillime curatur, inprimis in tenuibus; & contra simplex erosio. Dysenteria feliciter superata relinquit plerumque intestina firmiora, quocirca posthæc nec huic nec diarrhoeis facile obnoxii sunt convalescentes. Vomitus cruento-purulentus ex rupta vomica ventriculi juncta, non semper terreat. *Mead monit.*

Dysuria. Ischuria. Stranguria.

Quibus futura est crisis, iis urinæ supprimuntur. In diris ventris cruciatibus urina sistitur. Urinæ retentio diuturna magno nisu facta sæpe creat testium retractionem. Magna est consensio ab intestinis ad urinam, à cute ad vesicam. *Rega.* Stranguria & dysuria leniora esse sueverunt, ischuria gravissimum, ac, si diutius immoratur, mortiferum est vitium. Ischuria renalis periculosior est vesicali; eadem illa si absque dolore magis perniciosa est, quam si cum dolore. In strictis corporibus brevius necat quam in laxis. Ischuria nisi ante septimum diem tollatur, febris facile inflammatoria, sphacelus, imo mors, superveniunt.

Nullus Ischuria laborans diem supervixit propemodum 17mum; sed si lotium iter inveniat per umbilicum, sudores, (*Piso*) insuaves & olidos sane, alvum, (*Beniv.*) vomitum, ad 20. dies protractam legimus. *A. N. C.*

Qui gonorrhoea virulenta laborarunt in juventute, solent in senecta diro urinæ vexari ardore atque mingendi laboribus. Urinæ cum rigore suppressæ, stranguriæ in acutis, malæ & convulsoriæ. tum alias, tum si cui antea sopor fuerit; spes autem his abscessus pone aures. Ubi lapillus hæret in pelvis fine exortuque ureteris, aliquo corporis motu modo ascendit modo descendit, sicque urinæ mox suppressum mox iterum liberum erit iter. Interdum sibi urina in cervice vesicæ viam parat, & per ulcus ex suppuratione vel gangræna obortum erumpit. In superioribus hærere ductibus caussam docent dolor ac gravitas in lumbis, vesica inanis, doloris ac tumoris expers, absentiæ mictionis urgentis. *Lomm.* In dysuria quo diutius dolores insistunt, eo facilius febris vel convulsio accedit. Ischuria quandoque ad hydropem disponit, & hydropici sæpius hac anguntur. Stranguria absque dolore ischuriæ finitima est, sin minus, dysuriæ. Senibus malum diuturnum est stranguria, juvenibus brevius, per se neutris fatale. Stranguria quæ est ab urinæ vitio facilius curatur, quam quæ est à vesicæ morbo, inprimis in senibus. Senes si urinæ suppressione corripiuntur, vel cum alio graviore morbo, vel sine tali, plerumque letali est cum eventu, calculo nempe absente. Dysuriam solvit tantisper subsequens rigor, antesignanus supervenientis febris novæ. Stranguriæ vel suppressæ urinæ si tenesmus vel volvulus accesserit, intra 7. diem occidit, ni febris intervenerit lotii iter expediens. *Hipp.*

Asth-

Asthmaticis dysuria superveniens bono est; hac cessante denuo tales fiunt. *Bagliv.* Ischuriam sequitur coma somnolentum, restituto urinæ fluxu, hoc protinus cessat. Fere semper quoque in senecta succedit incontinentia ischuriæ. Urinæ suppressio à tuberculo, pepasmi capace, ad vesicam enato, per puris eruptionem solvitur. Ubi valde intenta est vesica, inflammatio cum metu gangrænæ excitatur, & æger inter miseros cruciatus, cibum quoque & bilem per os reddit; hinc pariter aliquando nascitur vesicæ hernia. Quando in urinæ retentione lotium concussum bullas emittit & retinet, tunc ægri sunt in periculo mortis, & contra. *Boerh.*

Quidam ob totalem urinæ suppressionem incidunt in hydropem pectoris, lethargum vel convulsionem. *Bagl.* Tolli potest quæ ex ἀτονίας simplici si æger obsequatur; quæ ab hernia vesicæ urinariæ recenti, ubi perita manus admovetur; ubi aditus est ad tubercula & excrescentias; quæ ab urinariæ vesicæ ventositate (quæ dolorosissima ceteroquin); ubi à pituitâ, sabulo, alvo opstipata, hæmorrhoidum motu in junioribus. Periculosum malum si singultus superveniat; si noxa à lapsu, vertebræ luxatione, ex concreto sanguioe. Quo ultimo casu gravissima quandoque fluunt symptomata, quæ de mictu cruento traditurі dicemus. Vix emendabilis ancepsque est, quæ ex callo, scirrho vesicæ, à calculo majore in pelvi; quæ à vitio malæ conformationis; quæ à vesicæ paralysi.

Mortiferum, si ceteris persistentibus malis signis, sponte largissimum uno impetu eveniat

profluvium; ubi ſudores urinoſi, fœtidi, cum aliis malis ſignis; ſi à calculo incuneato. Quæ à muſculis abdominis læſis rationem prædictionis in vulneris natura habet. Qui incidunt in letalem urinæ ſuppreſſionem, corripiuntur ſtupore mentis, tremore ac rigore univerſali, febre demum, paralyſi aliisque nervorum morbis, delirio, apoplexia, veterno profundiſſimo, hydrope pectoris. *Bagl. Boerh.*

Senes ex veſica laborantes excernunt aliquando tam lentam pituitam, ut quis merito dicat veſicam ipſam emingi; acerbi adſunt dolores, hique moriuntur.

Emphyſema.

Emphyſemata non ſolum fiunt ſub cute in membrana celluloſa, ſed etiam quandoque ſub perioſteis, aut etiam iis membranis, quæ muſculos ambiunt viſcusque aliquod. *Galen.* Emphyſema quod fit ex vulnere, maxime curvo, capitis, vel ad thoracis cavum aut fiſtulam ſpiritalem penetrante, per ſe nullius eſt periculi, nec adeo moleſtum; Pleuram percuſſam hoc probabile reddit. Si ab exulceratione pulmonum, pleuræ, minus lætam dat præſagitionem. Quod variolis ſuppurantibus ſupervenit, vel perfunctis hoc morbo enaſcitur, variam habet prognoſin; prius magnum vitæ minatur periculum; poſterius vinci poteſt. Si à relaxatione cuticulæ ob vappidum & humidum ambientem ærem, medelæ locus eſt in corpore ceterum ſano, contra in cacochymico. *Schulze. Hild. Boerh. Palf.* Tredecim nume-

ro

ro notavi ab una femina, destinato tempore, successoriis annis, nullo interposito sano, enixos emphysematicos fetus, vel mortuos jam, vel brevi post extinctos; sub graviditate inflatum habebat utplurimum mulier habitum cutaneum, post partum sponte vanescentem. Mendiculi malitiosi infantibus sæpe arte inducunt emphysemata v. g. hydrocephalum, hydropem scroti. *Hild. Dionis.*

Empyema.

Empyema valde periculosum est malum. Quod à vulneribus thoracis mitius est, secus, quod post φθισιν, pnevmonicas, vomicam; ob fractas jamdum vires quin immedicabile. Si in uno tantum pectoris latere, diutius supersunt. Si 40. diebus à ruptione vomicæ pus totum sputis non expurgatur, fiunt phthisici. Empyicus impetu docetur circumfluentis humoris, in quo sit latere vomica rupta, eique, in quo pus hæret, jucundius incubat. Si pus multum, quod coiit in empyemate, simul omne effunditur, æque mortiferum est; acsi quis sani corporis vulnere factus exsanguis est. Si pus paracentesi eductum, album, læve, æquale & purum si æger sine febre, siti, diarrhoea, bene digerit, evadit; contra, si subcruentum, feculentum, fœtidum, fuscum, ichorosum, uno impetu effluit, febris cum suis symptomatis præsens, necatur. Pus quandoque sibi ipsi viam parat, potissimum in dorso; In asperam arteriam eructatum, quandoque screatu ejicitur; Si idem

facile,

facile, album, inodorum, læve nec fervidum, bonum; aliquando abſorptum diarrhoea exit, vel ad vias urinarias defertur feliciter. *Boerh.* Talis autem evacuatio copioſa ſit, oportet, ad ſalutem ſi vergere debet. Si pus in ſanguine remanet abſorptum, gignit φθισιν, febrem putridam cum ſudore putrido, purulento, dein dulceſcentis, nauſeoſi odoris; nec ullus ſervatur. In morbo ad antiquitatem verſu totum corpus ſudoribus diffluit, in pedibus tumores fiunt, aut toto corpore oriuntur puſtulæ. Si ſub alio morbo, v. g. febre, eveniat & accedat, pejus eſt quam ſolitarium. *Vater.* Ex paraphrenitide quandoque fit empyema, rupto diaphragmatis abſceſſu, ex anguina, inflammatione mediaſtini, pericardii, epatis ea ſuperficie, qua ſepto medio contiguum. Prædictio & hic valet citime propoſita.

Epilepſia.

In adultis licet vehemens & aſpectu triſtis, non tamen perinde luctuoſus hic eſt morbus. Mirum, feminas epilepticas ac cotidie cum paroxyſmis conflictantes, attamen liberos parere integros & ſine ulla iſtius mali nota, & contra, firmis & bene valentibus prognatos, affligi dira affectione & miſere haberi. *Pechl.* Prodromus epilepſiæ perſæpe eſt univerſalis, jam inſtantis, convulſio membri alicujus particularis æque oblivio; & ſi hæc poſt eam, peſſima eſt. Epilepſiæ verminoſæ & hyſtericæ acceſſionem pluries antegreditur gulæ fiſtulæque ſpi-

ſpiritalis conſtrictio. Hæreditaria, congenita nunquam ſanabilis, idiopathica, chronica, raro, ſympathica recens ſæpe curabilis. Si à mala conformatione ſolidi, nullus medicinæ locus eſt *Boerh.* Nocturna vera curatu difficilior eſt quam diurna, *Crato.* Epileptici melancholia facile ſolent corripi. & vice verſa. Chronicæ epilepſiæ ſubjecti, licet aliis morbis ſimul labo-rent, haut adeo periculoſum. Senes ſi epi-lepſia corripi cœperunt, plerumque celerrime pereunt. Vehementior oculorum diſtorſio ali-quoties ſtrabiſmum relinquit durabilem. Epi-lepſia circa menſium eruptionem in puellis eve-niens, in feminis tempore geſtationis & præ-cipue partus revertit facile, Quartanæ ſi epi-lepſia ſuperveniat, tamdiu epilepſia conticet, quamdiu febris durat. Quartanæ epilepſia ſu-perveniens, eam ſolvit. *Hipp.* Solvitur ſæpe circa annos pubertatis; ſi hoc non fiat, ma-lum. Solvitur mutatione aëris, locorum, vi-tæ generis; intermittentibus febribus. ſcabie, eryſipelate, exulcerationibus; hæmorrhoidibus; febre acuta; hæmorrhagia; matrimonio inito. Prægnanti feminæ ſi morbus acceſſit comitialis, facto partu ſolvitnr. Spes eſt, ſi non ſit hæ-reditaria, congenita, idiopathica, habitualis; ſi ex vitio primarum viarum, à vermibus; la-ctis nutricum culpa; efflореſcentiis retropulſis regreſſisve; ſi paroxyſmi rariores, mitiores, & noctu ubi invadit ſine pollicum incurvatione; ſi æger acceſſum tantum præſentit auræ frigidæ quaſi afflatu, non doloris cujusdam capitis, la-teris, artuum, prævia perceptione. Peſſima

ſigna;

signa: si ex improviso concidit miser; si à capite accessionis venientis sensus inchoat, non ab artubus; si paroxysmi magis frequentant quam solebant, diuque ubi invasit passio, immoratur; si adest multa vertigo, respiratio difficillima & vehemens, longa corporis agitatio, post hanc catoche, stertor, factorum nulla memoria & pudor; si mens læsa aut facta paralysis; si post annum 25. demum accedit, maxume, si miser comitialibus procreatus parentibus, aut conceptus fluentibus menstruis fuit. Epileptici motus in statu acutarum febrium, maxime exanthematicarum, parum relinquunt spei bonæ. *Hoffm.* Desinit epilepsia in apoplexiam, paralysin, hemiplexiam, maniam, fatuitatem, hecticam, omine fatali. Epileptici, qui moriuntur, apoplexia extinguuntur. *Boerh.* Epilepsiæ si superveniat gutta serena, plerumque signum mortis est vel vehementiæ morbi. Quæ in hominibus ex infima plebe, egenis, misere victitantibus, crudis aquis utentibus, duris laboribus dec fatigatis occurrit, idiopathica est singularis ex sanguine crudo, crasso, feculento, atrabilario, ad cerebrum delato & impacto. *Boerh. Burggr.* Epileptici panis secalini αδδηφαγια communiter laborant. *Carl.*

Erysipelas. Zona. Macula lata.

Quo magis nobilem, nervosam, tendinosam erysipelas occupat partem, quo gravior inflammatio, eo magis considerandum, inprimis in corpore impuro. Febre, inflammatione,

ne, cute minus aſperata, decurſus celeritate; noſces eryſipelas ab herpete. *Platn.* In ſenibus, cachecticis difficulter diſcutitur, frequens autem iisdem obvenit. Capitis, faciei, palpebrarum eryſipelas pejus eſt reliquo; frequens eſt in arthriticis anomaliis; ſalutariter ſolvitur hæmorrhagia larga. Eryſipelas locum mutat, ſerpit cum rubore ac calore, ſaneſcente eo, quod prius vitiatum erat, ex quo à phlegmone diverſum intelliges. Exoritur quoque μεταςάσει febris vel alius morbi, quod diligentem neceſſariam habet animadverſionem in medendo, ne reprimas. Convulſionem ſolvunt inflammatio, eryſipelas, abſceſſus. Periculoſum eſſe poteſt, quod cum multa febre oritur & in phlegmonem tranſit. Pravum eſſe ſolet, quod propter confractum vel nudatum os venit. Si intro ſponte vergit, letale; rubor evaneſcit, pectus gravatur & ſpiritum ægerrime ducit æger. Bonum, ſi ab internis ad extra migrat; ſi ſine inflammatione, minus periculum habet. Solvit aſthma, epilepſiam, colicam, maxume convulſivam. Eryſipelas neglectum vel imprudenter tractatum, aut in ardentem febrem, aut exulcerationem peſſimam, aut gangrænam ac ſphacelum convertitur. Si ſuppuratur, ulcera exedentia, mali moris, inſanabilia, enaſcuntur. Dicitur tum proprie Ignis ſacer. Eryſipelatis corruptio pejor eſt quam quæ in aliis inflammationibus contingit. Sphacelus ex eryſipelate natus per aliquot dies in cute deliteſcere ſolet. *Junck.* Si tumoris eryſipelacei rubor liveſcere incipit, ac dolor profunde

infi-

infixus eſt, ſuppurationem expectato. Eryſipelas ſcorbuticum valde periculoſum eſt, facillime enim in malignum degenerat ulcus. Eryſipelas remanens, retropulſum, eſt perniciale quin funeſtum, capitis inprimis, ex quo præcipue vertigo, phrenitis, affectus ſoporoſi, linguæ paralyſis, maxime in ſenibus & ſcorbuticis; Cetera invehunt inflammationes viſcerum, ſtomachi inprimis, hepatitidem, aſthma, cardialgiam, ſingultum. Qui eryſipelate pereunt, febre moriuntur cum dyſpnoea, delirio, ſopore, intra 7. diem quidem plerumque. *Hoffm.*

Zoſter ſive Zona, eryſipelatis genus pernicioſum eſt, ac interdum necat. Si pectus obſidet, pertinacior eſt & doloroſior, quam ſi ventrem inferiorem. Notatur acutis Zoſter cum febre acuta, maligna; alius chronicus in ſcorbuticis, hypochondriacis, arthriticis. *Joh. Lang. in ep. Hoffm.* Zonam acutam malignam & maculam latam quidam ad carbunculos referunt. A retenta purpura ſæpe exoritur Zona. Vidi cardialgiam in bibone chronicam Zona ventrali fato quodam ſolutam.

Macula lata maligniſſimum genus eryſipelatis eſt in febribus malignis circa cordis ſcrobiculum vel in manibus, livida mox, demum atra, mortis nuncia.

Febris acuta in genere.

De ſymptomatis, hæmorrhagia, ſurditate, ſiti, convulſione, delirio, ἀφωνίᾳ, vomitu, diarrhoea, ſudoribus, ſingultu, præſagitiones ſuis evolvantur locis. In acutis morbis fallaces magis notæ ſunt & ſalutis & mortis, maxime, in principio ac in viſcerum labe, humorumque miaſmate notatis ſontico. Aliquando cum peſſimis ſignis evadunt & contra. Corpora rigida difficilius laborant. Acutæ ordinariæ cum algore horroreve invadunt, non rigore; malignæ cum vario horrore. *de Berger*. Ad febrientem ſi ingrediaris, inprimis etiam reſpice hypochondria, reſpirationem, linguam, gingivas, oculos, faciem. *Hipp.* Raucæ voces & ἀφωνίαι in acutis indicunt cauſam proximam à bile. *Bagl.* Urinæ nigræ, vel ſedimentum tale, in menſibus ſuppreſſis ſimul laborantibus vel melancholicis, non ſunt ita timendæ, ac extra hunc caſum. *Alpin.* In malignis urina fere ſemper eſt inſtar cereviſiæ albæ & ſic ab aliis febribus diſtinguit *Kramer*. Omnis febris, quo magis eſt calida, eo magis eſt putrida. *Boerh.* Si in acutis circa dies criticos inſueta incidant ſymptomata, de vermibus inter alia quoque cogita; æque reliquo tempore, Quæ ex dolore dorſi principia febrium ducuntur, difficilia ſunt. Livores pejores ſunt in acutis quam nigredines. Pedum frigus exacerbationis imminentis criterium eſt, Si magna muſcarum copia plus ſolito in æſtate videatur, ſemper in ſequenti autumno febres

crassantur malignæ. Plus alunt periculi febres continuæ circa solstitium. *Waldsch.* Acuta mensem excedens non unius, sed plurium, mutuo sese excipientium, consecutio est, ex algore repetito cognoscendarum. Omnes febrientes quamdiu sputant, extra periculum ut plurimum sunt. Illi, qui sine sudore est, salivas fluere, dum febrit, boni moris est. Acuti morbi imparibus diebus salutariter desinunt, nam paribus fere sunt letales; chronici paribus diebus ac mensibus. *Hipp.* Auxietas febrilis cum fastidio & vomitu ventriculum læsum significat, nec timenda, si vomitu sedatur; si autem eodem augetur, malignitas latet. Antecedit sæpius crisin futuram, optumamque. *Alpin.* Præsentibus licet aliis melioribus signis, urina existente cruda & perspicua, licet ruffa, lubricus est status. Nausea in malignarum initio robur naturæ indicat, in peste vero maxime perniciosa existit. *Ettm.* Nausea pro signo susceptæ malignitatis habenda. Ex nimia venere debilitati si prehendantur acuto morbo, non eluctantur, nisi difficillime aliquando; Et qui febre modo soluta feminam ineunt, plus sæpe cito extinguuntur. Febres benignæ in enervatis, potissimum ex venere immodica, malignas imitantur, ob rationem malignitatis formalem. Si virium sine manifesta causa notabilis urget defectus, ac symptomata nec temporibus morbi respondentia neque signis reliquis adsunt in acuta, malignitatem dices. Malignitas non competit febri sed stagnanti humori. Fere revertitur febris, quæ subito sine ratione, sine

bonis

bonis signis, finita est; si diebus imparibus ægrum non reliquerit; quæ neque diebus criticis, neque post adparentes solutionis notas dimittit. Crises imperfectæ & extra dies decretorios contingentes recidivas relinquunt, tumores hypochondriorum, splenis, hæmorrhagias, quibus succurrunt tumor ad articulos urinæ turbidæ cum sedimento multo. Si algor aliquis inciderit post vigorem, mitescente sine luculenta crisi febre, recidivæ indicium habes, & non infrequenter purpura incidet junctim, si cum horrore revertat. *de Berger.* Ex dorso crebris & parvis horroribus insudantes leviter in difficili versantur, ischuriamque dolorosam facile hinc prædicas. Acute febrientibus si alius temporis rigor superveniat, affuturam symptomatico modo febrem quandam inflammatoriam v. g. pnevmonicam, phreneticam, testari potest. Algores, horrores sub, in & post vigorem acutæ, sine critica subsequa evacuatione, pessimi; ferunt secum vel diuturnitatem morbi vel recursionem vel præceps exitium. *Alpin.* Rigores multi cum torpore, malignum quiddam denunciant. Crebri ac inconstantes ex dorso horrores dysuriam vel ischuriam minantur. Epidemicæ malignæ facile in lentas hecticas degenerant. Respondent communiter typis illi anni tempori, in quod incidunt, convenientibus, scilicet vere tertianario, autumno humidiore catarrhali tussiculoso, æstate dysenterico. *Carl.* Acutis post crisin minus perfectam succedunt aliquando intermittentes, æstate tertianæ, autumno quartanæ. A gravi qui-

dem & diuturno paroxyſmo tertianam probabiliter conjicere licet. Febris acuta criſi imperfecta declinans, eminusque abſceſſum minitans, ubi intermiſerit ac erratica facta fuerit, facile in quartanam migrat, autumnali maxime tempeſtate. Cum convulſionibus & ſudore febrienti, defluentia ſputa minime mala ſunt; ſatius, ſi accedunt fluxa alvus aut abſceſſus ad articulos. Capitis dolores vehementes ac continentes cum febre, in junioribus ſanguinis eruptionem è naribus, in ſenioribus ſuppurationem indicant. Quæ cum malignis ſignis allevamentum adferunt, & quæ cum bonis non remittunt, moleſta ſunt & difficilia. Quibus cum alvi perturbatione ſub iudicationem morbus ingraveſcit, iis nigra per alvum prodeunt. In febribus ex glandularum tumoribus dolores, morbi diuturnitatem prænunciant. Quibus per febres obſurduerint aures, iis ſanguis è naribus critice profluens aut perturbata alvus ſolvit morbum, & contra hæmorrhagia ſymptomatica phrenitidem prædicit. Poſt modicam ſanguinis eruptionem nigramque dejectionem in acutis ſurditas, malum. Si febrientes, non dormientes, quieti tamen, nil querentes, non loquentes ni ad quæſita, pulſum tangenti manus retrahant tremulas, non evadunt. Pulſus intermittens in juvenibus, maligne febrientibus, non ſemper fatale præbet ſignum. *River.* In febribus ſemper bene ſperandum, licet prava ſyſtematis nervoſi appareant ſymptomata, ſi modo pulſus robuſtus & æqualis, & contra, ſi valde celer, inæqualis, debi-

debilis & vacillans, licet reliqua ſymptomata ſalutem promittant. *Morton.* Vires in acutis quo magis firmæ perſtant, reſpiratio quo magis bona & facilis, quo plus mens ſibi conſtat, non omnino dejecta cibi cupedia eſt, pulſus magnus & æqualis, ſomnus decens, eneorema per aliquot dies laudabile in lotio apparens, ſedimentum excipit tenue, in dies ſenſim craſſeſcens, eo plus manet ſpei firmæ. Ructus acidi in putridis & acutis ſalutares; cadaveroſi ſunt gangrænæ & affuturæ mortis nuncii. *Hippocr.* In declinatione febrium malignarum bene judicatarum, cum allevatione magna quandoque erumpunt ſudores frigidi in corpore calido, perque horas durant plures, ad 24. uſque. *Rayger.* Quibus in febribus aut aliis morbis voluntarie illacrymant oculi, abſurdum non eſt; quibus autem præter voluntatem, abſurdius. Illacrymationes involuntariæ hypochondriacis obvenientes acute febrientibus, non ita ſunt timendæ, ut in aliis, ſi alias iisdem iſtæ familiares ſint. In acutis tumidas partes ſpectari, criticis diebus maxime, die 7. 9. &c., vel in declinatione, perpetuo malum non eſt; ſæpius natura humores decretorie ad crura pedesque demittere ſolet. Aliquando etiam facies, totum corpus, tumet, vapore febrili calore concitato neque diſcuſſo, quo poſtea diſſipato, cito liberantur; ergo, aliis ſignis ſimul conſideratis, prædicendum. Lumborum dolores ad os ventriculi recurſantes cum febri, horrore, ſi tenuia & aquoſa vomitione rejecerint, delirarint, voce defecti ſint; ii poſt nigrorum vomitionem

tionem moriuntur, Pulſus antea durus nunc mollis & æqualis criſin inſtare nunciat. Criſeos tempora ſunt incerta. Si febris in principio ſit vehemens, plerumque intra dies 4. fit criſis, ubi nempe exitii notæ abſunt; quodſi tardior in initio, circa d. 7.; ſi remiſſius incipiat, ad d. 11. 14. aut ultra protrahi ſolet. Quibus 6. die rigores contingunt, difficilis eſt criſis, metusque novæ febris primam excipientis. Quandoque diebus criticis mutatio fit critica ſine commotione & evacuatione critica. *Stahl.* Si criſis inciderit acutæ febris in menſtruæ purgationis periodum, rigorque ſupervenĩat cum tuſſicula aut affatim effundendorum iudex erit catameniorum, aut ſi pauca ſaltim adpareant, & mox ſupprimantur, pediſſequam acutam ordietur novam. Criſes minus perfectas crebro comitantur & conſequuntur abſceſſus, febres lentæ hecticæ. Longæ febres abſceſſus & articulorum dolores præmonent, eæ nempe quæ ſecuræ neque vitam adimunt, maximeque id in junioribus. Cutis denſitas, frequens micturitio vel urinæ copioſiores die indice apparentes, ardor vel pruritus in extremo pudendi, gravitas in hypochondrio, futuræ criſis per urinam ſigna ſunt. Reliquarum notæ ſuis traduntur pagellis. Hypochondria per febrium exordia tumida, dura & dolentia, mortem prope affore denunciant, ni criſis conducat, v. g. per hæmorrhagiam; Aut ſi febris intra 20. dies non quieſcat, neque hypochondria qui tenet tumor durus dolensque ſubſideat, ad ſuppurationem res vertitur; ſi iſta vero mollia

& ſine

& ſine dolore, ad 60. dies extenditur. *Hippocr* Tutiſſimus eſt abſceſſus, qui inferiorem corporis partem occupat, quam longiſſime à morbo, qui amplo incluſus loco morbi materiem continet omnem; quique maxime foras emergens non ægre erumpit.

Criſis fit per urinam, liberalem ſudorem, (optima fere) hæmorrhagiam largam, alvi fluxum varium, icterum, ptyaliſmum, ſputa, liberale ſeri mucoſi è naribus ſtillicidium, gangrænam partis cujusdam, (*de Haller*) bubones authraces, fluxum hæmorrhoidalem, è gingivis liberale ſanguinis profluvium, menſtrua, ſcabiem, tumores, abſceſſus (quin in ipſa lingua) parotides, exanthemata, rhevmatiſmos doloroſos, ſpaſticos, maxume in ſuris, ὀφθαλμίαν ῥοώδην, vermes copioſe excluſos, ſomnum protractum, cuticulæ univerſi corporis ſeceſſum, fluxum hepaticum &c.

Pernicialia ſigna: oculi ſemi aperti, pulverulenti ſive areſcentes, perverſi, ſubſidentes, caligantes, immobiles, rubri, dolor bulbi nulla præſente ὀφθαλμίᾳ, unus altero minor, livor, nigredo venularum oculi, atra bilis per initia ſupra infraque prodiens; ſenſus uſtionis circa cor & hypochondria; ſub magno morbo ultima corporis infirmitas, maxime delirio vel rigore ſtipata; lingua tremula, ſciſſa, livida, nigra, craſſa, frigida; deglutitio læſa cum ſtrangulatus metu, nullo præſente tumore in faucibus; ſpiratio frigida, interciſa, magna, crebra, difficilis, rara, anxia; ſitis abolita ſub gravi febre, cum lingua nigra & ſqualida; vo-

mitus ilico assumta cuncta excipiens, cruentus, multorum colorum, fœtens; floccorum collectio; manus, artuum tremor & tendinum circa carpos subsultus, si pullum tangimus; livor unguium, non æque nigredo sub validis viribus; alvus valde aquosa, alba, ex viridi pallida, valde rubra, spumans, exigua, glutinosa, candida, levis, nigra, pinguis, livida, æruginosa, fœtida, varia, inæqualis, cum singultu compressa; stranguria, urina intercepta, maxime ex rigore, morbo ipsi debita, privato corporis vitio non producta; urina sanorum simillima, nigra crassa simul & fœtens, bona quæ fuit repente mala facta, admodum copiosa, colliquativa, ignea perseverans sine sedimento, nunquam turbata, oleaginosa, cruenta, sine contentis, subjugalis permanens, frequens simulque pauca, ubi sedimenta iterum evanescunt; vesica dura & dolorosa; ischuria aut alvi suppressio cum magno in perinæo tumore; extrema non recalescentia, internis calore extostis cum facie flammea & sudore; febrilis ardor sine causa manifesta subito conquiescens; fœtor intensus ab ægrotantis corpore exhalans; lipothymia, syncope; sputa livida, cruenta, biliosa; sudores sub infirmis viribus, frigidi, fœtidi, particulares, in facie maxime; pudoris neglectus; insolitus ægri & indecens decubitus; ulcera, & in febre nata, sicca, livida; parotis non suppurans, nec aliter judicata; rigor inanis, fugitivus, sæpe recurrens, maxime diebus judicialibus; inquietudines cum malis sudoribus, præsertim criticis diebus, nulla optuma sub-

ſubſecuta evacuatione; præcordiorum magna anxietas inflammatoria; dentium ſtridor, ariditas vehemens, nigredo, livor; lumborum dolor cum comate anxio; ſi venter intumeſcit ac perſiſtit cum aliis pravis ſignis, v. g. convulſione, (ex ore tunc virulenta & putrida prodeunt); erectum ſedere velle ægrum; dolores circa viſcera vehementes; convulſio in ſtatu accedens; ſpiritus ſtertoroſus, ſuſpirioſus, & qui maxime naribus editur, cum alvo præprimis ſicca; horror ſudori ſuperveniens, novæ acutæ quandoque initium, quin purpuræ; effuſæ excretiones ab initio ſtatim & extra dies criticos; ſingultus inflammatorius; ſi color ſubinde mutatur corporis; dolores ad jugulum & humerum affixi; venarum jugularium palpitatio vehemens cum cervicis duritie doloroſa & tendinum diſtentione; coma; vigiliæ perpetuæ; ſomnus cum labore & pavore; aphonia; oblivio; ſenſus hebetes & ſtupidi; alimentorum cum ſtrepitu in ventriculum deſcenſus; caloris in frigus mutatio & v. v. hypochondria tenſa, dura & inflammata; pulſus valde parvus, contractus, ſanorum ſimilis, myurus, inæqualis, celer & durus ſimul; fecum & urinæ involuntaria excretio, ſi extra ſe non ſit æger; facies Hippocratica &c. Periculi notæ: ſiccitas oris, linguæ, palati cum voce clangoſa; lacrymæ involuntariæ; ſingultus à ſaburra; ferox reſponſum à leni olim homine, garrulum à taciturno, taciturnum à garrulo; aphthæ; angina externa; parotides ſuppurantes; bubones; teſtium, ſcroti tumores; corporis calor inæqualis; delirium; odorum

non consuetorum & rerum non præsentium perceptiones; corpus durum, asperum, non molle; sedimentum in urina divulsum inæquale, farinæ aut squamularum instar; anxietas spasmodica; lentores circa dentes; si venter intumescit ac persistit sine aliis pravis signis; rigor, horror, alieno tempore superveniens; dolores partium ignobilium sine ratione vanescentes vel ad nobiliores migrantes &c. Plurimum necant acutæ nobilis cujusdam visceris gangræna. Venerei, melancholici non facile maligni moris corripiuntur.

Febris ardens & biliosa.

Rarior apud nos est simplex & vera febris ardens; frequens magis ardens sanguinea sive synocha biliosa, cholericaque febris. *Hofm.* Gravitas desumitur à statu ægrotantis, naturali magis minusve adverso; sic in sene atque hieme adveniens, letalis plerumque. Senibus ut infrequens, sic apprime perniciosa est; tutius & sæpius eadem laborant juvenes. Lingua arida, nigra, labia nigra, calor ad tactum fere urens, febrem significant ardentem. Lingua optime testatur de sanguinis statu in ardente. Ardens perfecta diem 7. raro transit. Si signa habet bona protinus ab initio, plerisque 4. die solvitur. Solutio accidit ardentis febris hæmorrhagia, è gingivis cruoris fluxu, vomitu, diarrhoea, sudore, urinis, sputo crasso, fluxu hepatico, hæmorrhoidibus, idque diebus decretoriis. Ei, qui ardente febre laborat, si rigor, sub urinæ pepasmo, diebus imparibus, dimidio

dio septimi 7. 11. 14. supervenerit, morbi fit solutio; ubi præsertim post ipsum vel sanguinis eruptio vel sudor vel biliosorum humorum sequitur felix excretio. *Hippocr. Hofm.* Bonum; si ægri bene sitiunt, & large commodum hauriunt potum, & contra, si nil sitiunt. Malum; si deglutitio læsa; si rigor prioribus diebus repetit, materie utpote adhuc incocta febris. Accessio nova die pari pessima, si id ante diem sextum. *Boerh. Hippocr.* Exitii notæ: hæmorrhagia 3. vel 4. die parca; angustiæ circa præcordia urgentes; parotis ad suppurationem non veniens, urina nigra, pauca, tenuis, suppressa, mordax, cruenta; alvus nimis fluxa; sanguinis sputum; tremor ex quo delirium; peripnevmonia, maxime, si cum delirio; si tumores cum somnolentia & torpore obveniunt, dein lateris dolor cum levi partis paralysi; si accedit morbus regius & singultus; (hique 5. diem vix superant) ubi supervenit spasmus vel tetanus; si per initia sopor & levis sudor jungitur. Qui in ardentibus non nihil perfrigescunt cum egestionibus aquoso-biliosis crebrisque, his oculorum jactatio cum nictatione, malum signum, tum alias, tum si altus stupor prehenderit. *Hippocr.* Quibus in febribus ardentibus aures tinniunt, obsurdescunt cum visus hebetudine & ad nares gravitate, his non soluta febre, necessum est delirare; solvitur autem inter alia sanguinis é naribus eruptione aut alvo biliosa. Diarrhoea critica in ardente cohibita inducit facile phrenitidem vel intestinorum inflammationem. Alvus sicca, præ-

præcipue in ſtatu, periculoſior ſemper eſt, quam nimia illius ſolutio in febre ardente itemque bilioſa. Quum ſcorbutici in febrem incidunt ardentem, horrendis ac inſuetis exagitantur ſymptomatis, delirio, convulſione, anxietate præcordiorum, ἀφωνίᾳ, aſthmate, animi deliquio, cardialgia; ceſſant vero ſymptomata poſtquam purpura ſcorbutica in cute adparuit. Cum recidiva eſt febris ardens, plerumque ſudore finitur. Vox rauca & ἀφωνία eſt in febribus bilioſis familiaris. Cholericæ male exceptæ facile demigrant in lentam, hecticam, aſcitem. Suppreſſæ leipyriam accerſunt. Dejectiones & vomitus nigricantes obitum præcurrunt. Criſis fit per icterum die 7. vel poſt, non ante, modo mollia ſint hypochondria; vomitum multæ bilis, non malæ coloratæ; diarrhoeam. In tertianam ſæpe migrant ſed ſuſpectam. Cholericæ minus acutæ formant & conſtituunt continuas cotidianas, tertianas, quartanas. Deliria & convulſiones in bilioſis febribus præſagit urina prius tincta, ſimul & ſemel ſubito prorſus aquea facta, dein plerumque quoque letifera. Quo magis delirium in febribus bilioſis adeſt & continuat, eo periculoſior morbus.

Febris catarrhalis. Catarrhus.

Febris catarrhalis benigna periculi per ſe expers eſt. Gravior, ubi cum aphthis & prunella. Admodum ſæpius diuturna, & ante 40. dies non finitur. Pernicioſa ſigna; urina aquo-

aquoſa; pauca in principio cum deliriis viriumque proſtratione; dyspnoea; paucus ſudor; paroxyſmus longus; ſomnus profundus &c. Ubi paroxyſmo incipiente ſtupor, ſomnolentia, oscitatio, faciei tumiditas & livor, carum expectato. Ubi oculi concavi, cutis arida, tenſa, facies citrina, hectices metus ſubeſt. Solvitur febris catarrhalis ſudore, ſcreatu, hæmorrhagia, coryza, alvi fluxu, urina ponderoſa cum ſedimento multo, οφθαλμια, puſtulis intra palpebram ac oculi canthum majorem. Pluries deſinit in morbos cuticulares chronicos, ſerpiginem, impetiginem &c. aliquando & aſthma mucidum. Non ſemel vidi febrem catarrhalem ex retento, repreſſo, fluore albo, huncque eadem denuo iterum cum ευφορια revocatum. Algor febribus catarrhalibus ſuperveniens non eſt contemnendus, quum febris inflammatoriæ pnevmonicæ index eſſe queat, quas enim pediſſequas crebro habent vel comites. *de Berger.* Numne catarrhales malignæ cum ſemitertiana vera veterum congruunt? Catarrhales malignæ contagioſæ ſunt, & à calidiore regimine facile petechizant, quod per ſe non æque feciſſent. *Carl.* Natura robuſti & plebeji ſine medicamentis, expectando, felicius evadunt, quam imbecilles altioris ſortis. Effuſæ excretiones ab initio ſtatim & extra dies criticos mali ſunt ominis. Petechiæ prodeunt die 4. 7. circa ſtatum; quo tardius erumpunt (d. 7.) eo meliores plerumque. Declinante morbo, ſi cum malis ſignis ſociatur adhuc purpura, utplurimum letale eſt. Salutem promittit circa

vel

vel in diebus criticis, 7. 11. 14. erumpens ſudor tepidus liberalis, vel alvus per aliquot dies fluxa, vel urina turbida cum ſedimento, quandoque & auditu difficili; pulſus mollior magisque æqualis; animus erectior. *Hoffm.* Tendinum ſubſultus; ſitis defectus; ſingultus; αφθαι; ſyncope; convulſiones cum extremorum refrigeratione & ſudore largiſſimo; delirium cum ſudore magno certa ſunt mortis indicia. Pereunt inflammatione ſphaceloſa meningum vel ſtomachi.

Catarrhus ſuffocativus plenus periculi ac terroris affectus eſt, qui ſæpe intra 12. horas, aut diem naturalem, hominem jugulat, raro autem ultra diem 3. extenditur. Adoritur homines ſucculentiores & humoribus refertos. Adultis magis eſt fatalis. Ubi ſuperatur, facile recidivat & quidem acerbius. Abit aliquando in febrem, vel in chronicam aſthmaticam tuſſim, humida copioſe excernentem, vel in cachecticam corporis flacciditatem. Letale, ſi ſpuma circa os. Spes & periculum ex reſpiratione intelliguntur, menſurantur.

Catarrhi circa æquinoctia plethoricis ſunt familiares. Catarrhi, maxume inveterati, cum vertigine, proximum in pertinacia locum occupant. Invehunt facile δυσηκοιαν, otalgiam cum aut ſine parotidibus.

Defluxio catarrhalis ad pulmones ſæpius recurrens, à cauſa pendens interna, ad φθισιν tandem deducit. Catarrhoſæ defluxiones in valde ſenibus, coctionem non admittunt. In pectus ruentes cum febri, morbo ad 20. dies

pro-

protracto, ad ſuppurationem tendunt. Corycæ frequentiſſimæ, conſuetudinales factæ ac pertinaces metum incutiunt apoplexiæ, φθίσεως, catarrhi ſuffocativi. Coryzas & ſternutamenta in morbis pulmonum cum febre acuta præceſſiſſe vel ſubſequi, malum. Coryza bene ſuccedente capitis, faucium, oculorum auriumque affectiones, dolores acerbiſſimi, tumores, vertigines, ſurdities aliaque mala avertuntur.

Febris intermittens.

Breves & ſecuræ eſſe ſolent febres intermittentes in ευσπλαγχνοις, & contra. Si febris die impari non intermittat, redit. Horror importunior fit illis, qui evomunt; Illis, quibus diarrhoea accedit, rigor tantum major, non frigus tremebundum. Qui graviores intermittentium ſunt rigores, eo vehementius affligunt vomitus juncti. Quo plus frigeſcunt ægri, eo diutius durat febris, & eo periculoſior. Frigus extremorum cum æſtu interno, malum. Qui febribus intermittentibus moriuntur, ſub ſpasmo & frigore diſcedunt è vita, ergo in principio paroxyſmi. Quo brevior apyrexia, eo citius terminatur febris. Omnes febrientes, quamdiu ſputant, extra periculum utplurimum ſunt. *Waldſch.* Quartanarius ſputator facile curatur, ubi viſcera illæſa. Urina quo craſſior & magis turbida, eo brevior erit febris, & contra, ſi clara, tenuis, intenſe rubra, flammea. Intermittentes epidemicæ ſemper periculoſiores

ſunt

ſunt atque pertinaciores ceteris. Nulla in parte evidentius futuræ febris noſces ſignum quam in lingua, tum quoad ſaporem tum colorem. Intermittentes autumnales primum ut continuæ adoriuntur pluries, paulatim in perfectam abeunt intermiſſionem; facile morbos chronicos poſt ſe relinquunt eædem. Autumnales facile excipiunt continuæ ex neglectu purgationis in prioris morbi fine. *Sydenh.* Tertianæ & quartanæ autumnales ſæpenumero vices permutant, vernales nunquam. Vernales & æſtivæ intermittentes meliores autumnalibus ac hyemalibus. Si in febribus infantum diuturnis intermittentibus abdominis regio, circa lineam præcipue albam, indurari ac tumefieri occipiat, morbum hunc brevi abiturum dixeris. Febres & intermittentes & acutæ pluries poſt ſe relinquunt arthritidem. Si in intermittentibus ſecundus paroxysmuns vehementior ſit, tertius admodum mitis, tum in quarto febris ceſſabit; ſi quartus vero valde vehemens, quintus remiſſior, tum in ſeptimo febris intermiſſio expectanda. Comatosæ ſub 3. vel 4. acceſſione apoplecticæ fiunt. Phrenitidem aliquando sequitur tertiana intermittens soporosa. In obeſis intermittentes sunt pejores quam in macilentis. Placentæ febriles recentes superabiles sunt & contra; peſſimæ hæ, que cum fœdæ luis notis. Lingua sordescens ubique suspecta in intermittentibus. Venerei, melancholici non facile febre maligni moris corripiuntur. Si poſt primas doses refractas chinæ febris evadit vehemens & intenditur, utpluri-

mum

mum brevi poſt ſedatur. *Werlhof.* Ubi urina aquoſa nil ſedimenti ponit, abſtine à china, ni neceſſitas urgens, v. g. in ſoporoſis urgeat. Urina intenſe rubra cum ſedimento lateritio, fere vere indicit intermittentes, vel & aliis morbis immixtas. Maxima damna ſibi adferre ſolent febricitantes, dum largiter potant ineunte paroxyſmo. Qui uncti ſunt mercurio, per longum tempus non corripiuntur febre. *Poter.* Oedema febribus intermittentibus alias ſuperventurum averruncat ptyalismus ſponte ſubortus. Sponte febres intermittentes ſolvi tumoribus œdematoſis, ſalubre eſt admodum; aſt adſtringentium uſu oppreſſa febre intumeſcere pedes, quantum intereſt? ut, niſi prior morbus revertatur, ſalus ſperari ſæpe nequeat. Longæ febres abſceſſus & articulorum dolores indicant. Longa præſumitur intermittens, ubi æger circa caput & cervicem tantum ſudores habet, frigidos quidem; ubi pro ſpatio valetudinis parum emaceſcit; ubi largam habet cibi cupediam; ubi hypochondria dura & dolentia; ſi dolores ad inguina & labores in articulos incidunt; ubi ſudor calidus forſan erumpens non levat. *Lomm.* Omnes intermittentes compoſitæ pronæ ſunt in acutas aut inſtabiles typos, hecticas, œdemata, hydropes, φθισιν. Malignitatis vel nequitiæ in intermittente certiſſimum habe ſignum, pulſum debilem & parvum, anxietatem præcordiorum, pallorem ſub æſtu, inquietationem ingentem &c. Intermittentes anomalæ mali moris contagioſæ obſervantur; Genium quovis fere anno habent alium atque

 alium,

alium, ut qua methodo currente anno liberaveris, eadem ipsos anno jam vertente è medio forsan tollas. Perpauci his decedunt, nisi ex medentis vel ægri culpa. Finiuntur diebus 14. ad 40. diarrhoea, sudore, urinis, purpura. *Hoffm.*

Omnis cotidiana ægerrime cedit. Minus periculosa, quæ plenariam habet intermissionem, & contra, quæ continuæ propinqua. Tutior & brevior, quæ incipiente accessione vomitus ac secessus habet biliosos, pituitosos in declinatione sudores laudabiles, urinam copiosam cum sedimento, & contra, ubi nulla concoctio, nullæ excretiones. Cotidiana si in tertianam mutatur, salutem promittit. Cotidiana si fit ex quartana, magno exitii metu accidit. *Lomm.* Quotidianæ paroxysmus raro 6. horas transcendit. Rarior est aliis intermittentibus. Exquisita longior erratica sive vaga est. Cotidiana solvitur vomitu, alvino fluxu, bilioso, pituitoso, urinis, sudore. Tertianæ nostrates plurimum nothæ sunt, non exquisitæ. Tertiana in medicinam quoque cedit, si impurum corpus, succis repletum ac chronicis passionibus afflictum prehendit, nempe obstructionibus, infarctibus. *Stahl.* Quæcunque tertianæ sponte curantur, vomitoriæ sub frigoris finem & sudatoriæ sub æstus remissionem sunt. *Carl.* In tertianis tertius paroxysmus plerumque est gravissimus; qui si mitis, indicium habes brevis ac mitis febris. *Werlhof.* Brevis tertianæ signum sunt pustulæ, ulcuscula circa labia, nares, simul lotium cum ardore reddi-

tum

tum, poſt 3. 4. paroxysmum; Eſt enim veluti critica depoſitio ad iſtas partes. Tertiana celerius corpus emaciat quam alia intermittens; exhaurit & ſiſtit catarrhum; adolescentes facit incrementis augescere.

Exquiſita non irritata, 7. ad ſummum 9. circuitibus abſolvitur; contra notha. *Hipp.* Tertianatii facile fiunt hectici. Solvitur, materia jam cocta, urinis, alvi fluxu, ſudore, ulcusculis, ſcabie; bilioſam tertianam d. 7. icterus cum rigore ſolvit. Si tertianarius paroxysmus ultra 12. horas perdurat, ad continuam accedit, maxime vehemens æſtus ſi paucum ſequatur frigus. Tertiana anticipans prona eſt in continuam, poſtponens in quartanam vel lentam. *Carl.* Tertiana præmaturius ſuppreſſa vel revertit ſalutariter, vel abit in plethoricis in continuas, vel in pituitoſis, ſegnibus in hecticas, phthiſicas, quartanas, icterum, hydropem, affectus hypochondriacos, ſcirrhos viscerum, tympanitem &c. Impetuoſiores tertianæ vertente anno facile recidivant. Tertiana duplex in continuam proclivis eſt, quæ ſi fit, pejor eſt alia. Tardius recidivans in ſimplicem degenerat. Tertianæ, quæ maturius dimittunt, alternis diebus adhuc languorem, gravitatem, refrigerationem relinquunt.

Senes ægerrime laborant quartana. Si quartanatii de interna congelatione quaſi queruntur, & externa adhuc parum caleant, peſſima eſt febris. Quartana per ſe ſecura eſt, licet contumax, ſed visceribus læſis, enecat plurimos; nonnunquam à magnis morbis tum tu-

tatur, tum liberat, ut à malo hypochondriaco, epilepſia, paralyſi, hemiplegia, motibus convulſivis, aſthmate convulſivo, podagra, calculo, mania &c. *Hipp.* Quartana inveterata & cum viscerum labe, hydropi corpus exponit, fereque æger his caſibus oppreſſus perit. Qui 60. ætatis annum ſuperant, ſi à quartana occupentur, raro evadunt, & magna ex parte hydropici moriuntur; Juniores minus periclitantur, niſi natura ſint ad φθίσιν propenſi, quibus quartana quandoque in hanc deſinit. *Dodon. in Beniv.* Solvitur quartana abſceſſibus, urinis craſſis, excretionibus cutaneis, ſcabie, variolis, purpura maxime ſcorbutica, dyſenteria brevi, hæmorrhoidibus, hæmorrhagia larga; ex quibus interceptis, regreſſis, ſæpe iterum quoque fit. Mutatur in rhevmatismum, ſcabiem, fœda ulcera &c. Quartana quæ paſſim oritur circa æquinoctium autumnale, deſinit plerumque inter initia veris. Hibernæ fere in morbos acutos transeunt. In peſſimis eſt plenaria ciborum averſatio, viscerisque corruptio plurimum ſubeſt. Faſtidium cibi ab initio quartanæ, protracto morbo in voracitatem mutari ſolet. Quartanarii pica ſimul detenti, non prius febre liberantur, quam poſt perverſi illius appetitus expletionem. *Hildan.* Quartana laborantes magno morbo, v. g. convulſione, non capiuntur; ſi vero jam alio morbo gravi detineantur & ſuperveniat quartana, tunc liberantur. Qui olim quartana liberavit & ſecunda vice poſthæc iterum in vita corripitur eadem, non diu admodum fatigabitur morbo.

Sy-

Sydenh. Quartana si variat typum, salutis spes est; si constans, aut ad interitum vergit aut graviores adducit morbos. *Werlh.* Urina quo magis crassa ac sedimento pari locuples, eo citius cessaturam indicit febrem. Quartana notha periculosior est exquisita, sed hæc longior spuria. Quartana febribus acutis juncta, plurimis funesta. Intermittens si fiat continua, æger morietur. Rarius juvenes & infantes infestat, nisi epidemica. Quartanæ quæ sub noctem multum diuque æstuant, faciles sunt in lentas, hecticas. Male cohibita inducit hydropem, icterum nigrum, hecticam, asthmata, catarrhum rebellem, melancholiam. Post annum citiusque facile recrudescit. In quartanis coctionis signa probe sunt attendenda; cum his & urinæ nigræ bonis ægri rebus adparent. Tertianæ, quartanæ succedunt quandoque infimi ventris dolores, colicorum æmuli, qui solvuntur vel sudore vel hæmorrhagia vel paralysi commutantur. Quartanarii multum sudant & mejunt. Quartana haut raro pedum œdemate terminatur, hocque male represso, repetit facile. Sunt quartanarii ad salivationem faciles, eaque quartanam sæpe solvit. Ubi desitura est, per octiduum cotidie perseverat, tandemque post longam diarrhoeam vel hæmorrhoides vel sudores terminatur cum salute ægrotorum, idque maxime & felicius instante solstitio. *Werlh.* Quartana vulgo ultra annum non est durabilis; quandoque ad plures annos extenditur. Reciprocantur aliquando quartanæ cum ictero, dyspnoea, oedematibus, ascite,

cachexia, tabe. Ad nullam excretionem inclinat ordinarie notabilem. Raro discedit quin sui relinquat memoriam per longum tempus vel multos annos.

Febris lenta & hectica.

Atrophia.

Hectici ac hypochondriaci pessime pluries confunduntur. Lentæ accommodâ medicinâ adhuc possunt abigi, hecticæ difficillime. Quarum nidus frequentissimus est in mesenterio. *Hoffm.* Hectica ab initio cognitu difficilis est curatu facilis, & contra in progressu. In senibus vix curatur, in adultis difficilius, in junioribus facilius. In μαρασμῳ vero nulla reliqua est curationis via. In hecticis stomachicis & intestinalibus crebro accidit diabetes symptomaticus. Sapor quasi cinereus, continuus mane in ore, fœtidus spiritus, dolor summus in ventriculo à cibo salso, calido, frigido, inflatio, lienteria, de hectica testantur stomachica. *Ettm. Forest.* Icterus hisce febribus interveniens, hepar graviter obstructum significat. Morbi diuturnitas status virium, viscerum læsionis ratio de salute decidunt. Juniores & activiores citius jugulantur à 18. ad 30. annum, quam seniores & temperatiores. Morbo putrido superato sæpe remanet lassitudo, motus febrilis sub lentæ genio, Febris lenta ex intermittente legitima recens nata si in intermittentem, simplicem maxime, iterum transit, minus periculosa est. *Junck.* Febris hectica siphyliticorum quamvis pro desperata

rata videatur, facillime tamen tollitur tempestive ablato luis seminio per specifica opportuna. *Bagl.* Multi ex Luis fœdæ reliquiis spretis contabescunt, pulmonibus fere intactis. Hectica, quæ acutas febres, dysenteriam, sanguineas fluxiones nimias sequitur, mali est ominis. Anni climacterici, æquinoctia, solstitia periculosa sunt hecticis. Hæmorrhoides in malo radicato conclamatum dicunt statum; in primo principio quandoque juvant. Qui pertinaci raucedine laborant, hectici moriuntur anno vix elapso. *Bagl.* Quibuscunque per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera aut alium morbum extenuatis atra bilis aut veluti sanguis niger per inferiora feruntur, postridie moriuntur. *Hipp.* Larga & diuturna suppuratio abscessus externi facile lentam vel hecticam invehit. Αδδηφαγια post morbum acutum vel longum lentæ & hecticæ sæpius numero producuntur. Signa corruptionis internæ in hecticis sunt: plenaria appetitus cibi & virium dejectio, somnus nunquam refocillans, facies livida; plumbea, icteritia, carnium flacciditas, conatus vomendi, vomitus varius, fœtidus, acris, sitis, tussis, calor depascens, horror creber, sudor colliquativus, diarrhoea. Cuncta pro re nata. *Hoffm.* Mortis prodromi sunt: plenaria appetitus & virium prostratio, facies Hippocratica, pulsus continuo & mane, celeres, urina pauca, oleaginosa, sine sibilo emissa, capillorum defluvium, lienteria, diarrhoea, maxime cum elatis hypochondriis, sudores colliquativi, pedum tumor, visus duplicatus. Ατροφια adultiorum est lon-

ge mitioris eventus & facilius curanda, quam hectica; quo magis vero hæc complicata, eo difficilior manet medicatio. Quæ à nimiis sanguinis profusionibus difficilior est quam quæ à diætæ vitiis. Quæ in juvenibus augmentationis tempore accidit, raro quid periculi habere solet; quæ ex lactationis labore in nutricibus vel matribus, per se secura est. Si à morbo quodam bene comedenti corpus tamen non proficiat, malum. Ατροφια non ita sensibilem actualem habet consumtionem uti hectica, atrophicique communiter perpetuo quasi orthostadii sunt & alacres, absente hectica. *Carl.* Interceptus alimentorum in ventriculum ingressus; denegatus in duodenum exitus; digestio omnino depravata, propter solidi in ventriculo vitium, ατροφιαν gignunt, quam nec curasset Æsculapius. Ατροφια particularis sive Aridura curatu sat est difficilis; omnibus irritis metus est, ne tandem gangræna vel sphacelus insequatur.

Febres mesenterico-stomachico-intestinales.

Veterum febres phricodes, tritophyææ, typhodes, assodes, elodes, epiala, lipyria, species hujus generis febrium sunt. *Heister.* Lipyriæ superveniente cholera solvuntur. *Hipp.* Phricoden sudore largo atque aurium abscessu solutam notavi in δυσηκοῳ. Alvi fluxus, qua sanguinei, qua biliosi, purulenti, fœtidi, salutares atque critici incidere solent. *Sennert. Prævot. Lancis. Comm. lit. Nor.* Diarrhoea cruenta,

enta; quandoque nigra, in febre intestinorum inflammatoria salubris est; in morbo ast chronico facto, plerumque brevi post fatalis. Dies certi critici hic non dantur. *Sydenh.* Quandoque à violentia subnascuntur externa, facileque diarrhoea solvuntur sanguinolenta, purulenta. Potus glaciatus, opulentioribus & Magnatibus solemnis, ad hunc morbum sæpe pandit januam. Quandoque in intermittentem migrant. Graviorem aut malignam indicunt: major præcordiorum anxietas, dolor ventriculi aut lateralis acutissimus, vires valde prostratæ, lypothymiæ, ardor internorum cum frigore extremorum, motus manuum tremulus, mens vacillans, singultus, floccorum collectio, sudor frigidus; quæ ultima summum vitæ periculum exprimunt. *Heister.* Sudores accedentes symptomatici in his febribus sunt, non critici. Mentiuntur hæ sæpius pnevmonicas febres. Fomitem in tenuibus hærere intestinis dicunt dolor in medio ventre ad stomachum vergens eumque distendens, præcordiorum anxietas, vomitus, assidui ructus. In crassis vero nidulari, significat lumborum gravitas, dolor ad hypochondria magis, vomitus & ructus remissiora, rariora. *Hoffm.* Exanthemata, petechiæ, purpura, phrenitides, parotides, convulsivi artuum motus accedunt ex præpostera medicatione, maxume coacta sudorifera, maleque malignitati imputantur. Horroris frequens intercursus sub febre continua, digitorum manus, modo dextræ, modo sinistræ, reiterata sæpiusque recurrens constrictio spasmodica, pavores, alvus

G 5 laxa

laxa & fœtida, fauces squalidæ, anima fœtens, capitis, si æger erigatur, nutatio & gravativus dolor, potissimum ad tempora, fereque iste continuus, monent Clinicum de hoc febrium cogitet genere. *Bagl. Riedel de feb. intestinal. comment.*

Febris pestilens. Pestis.

Genius hujus morbi non unus idemque est; ergo de utplurimum tali valet prædictio. Alii cum perniciosissimis signis evadunt, alii cum salutaribus è medio tolluntur. *River.* Adeo sæpe ferale venenum modicis levibusque specie signis occultatur, ut, ubi secura omnia & tuta dixeris, repentina mutatio Prognosticon deserat, Medicumque in infamia relinquat. *Pechlin.* Pestis per tumores solvitur, pestilens febris per sudores largos. Pulsus æqualitas in febribus pestilentibus optimam facit spem, licet illa maxima ceteroquin sit. Si ægri à febre immunes videantur, pessimum: Delirium non metuendum cum à somno compescitur, præcipue si cum copioso sudore evanescat. Quibus surditas in statu supervenit, aliis symptomatis quantumvis periculosis, evadunt; sternutationes æque bonæ sunt, contra: cardialgia, singultus, omnimoda cibi aversatio, sanguis vena missus plane purus ac naturalis; Urina pinguis, nigra vel livescens, admodum itidem copiosa sine febris imminutione, perniciosa. Quandoque tumores prorumpentes febrim antegrediuntur, morbo excipiente benignissi-

gnissimo. *Diemerb. de Peste.* Critica solutio solum absolvitur per bubones & anthracees in peste; accidit etiam per gangrænam aliquando particularem. Melancholici, podagrici, calculosi, hectici sæpius à contagio liberi sunt; sic ulcera, scabies fœda quoque aliquando præservant. Unum subjectum bis à contagio mortis periculum nonnunquam subit. Rarissime pestes hominum ac brutorum inter se communicant. Pestis cum bubonibus solet esse mitissima & securior aliis; cum carbunculis medio modo incedit; cum petechiis omnium pessima. Maculæ purpureæ citra ullam febris præsensionem mox erumpentes, præsentaneum indicunt interitum. Alvus suppressa melior fluxa. Mictus cruentus, hæmorrhoidum fluxio, mensium persolutio, anxietates citra insignem febrem, pernicialia. Salutaris speratur eventus, si sudor universalis in ipso principio ex alexiterico cum notabili manat levamine; si carbunculi vel bubones subito prorumpunt & cum febris remissione, ad maturitatem festinant; si æger assumta retinet. Ubi 7. vel 9. d° superat, remittentibus symptomatis, de salute non est dubitandum. *River.* Necat syncope, sphacelo viscerum, ardore ac dolore intolerabili ex nimia tumorum copia. Bubones, quo citius erumpunt, eo melius. Si bubones in collo, gutturis dolores excitant, & deglutitionem citra tamen insignem internam inflammationem, impediunt, æger vix horas 12. 15. supervivit. Si bubones & anthraces in loco erumpunt cordi vicino, collo vel retro aures, funestum dicunt

cunt exitum. Si bubones vel carbunculi retrocedunt vel non satis prodeunt, (quod sæpe sudoribus debetur coactis) horrore æger concutitur summe anxius ac inquietus fit, æstus [cum extremorum algore regionem ventriculi occupat, ad vomendum est cupiditas, vel singultus accedit; brevi exspirat miser sub turbatione mentis atque syncope. Parotides difficillime, promtius bubones ad inguina & sub axillis suppurantur. Quo plures bubones boni coloris, eo melius. Plures carbunculi, quamvis boni, ex nimio dolore ægrum conficiunt. Facillime carbunculo accedit sphacelus. Si dolor repente remittit in his, in pessimis est homo. Qui circa stomachum & fauces, subito spiritum elidunt. Nausea & vomitus horrendi pluries sunt à carbunculis ad stomachum, pylorum præcipue. Tolerabilior est carbunculus qui non tardior, qui levatur, rubet, loca musculosa obsidet; contra, qui nigrum, lividum habet colorem, inferioribus quasi infixus est; qui nervosa loca, articulos, tendines occupat, mortis nunciat periculum. Carbunculi in locis buboni alias suetis emergentes gravissimum indicant periculum. Si carbunculus apertus ad vicina progredi post horas 12. ad 24. non sinit, æger vix evadit. Anceps prorsus ergo vitium carbunculus est, maxime si prorumpens statim mali moris; pessimus qui vel in facie vel in collo vel in pectore vel sub axillis enascitur; fere semper enim hi necant. Si carbunculus salutarem habeat exitum, vix unquam in laudabile pus transit, sed in medio putrescit. Zonam acutam & maculam latam ad carbunculi genus haut immerito

rito quidam referunt. Ανθραξ sine peste qui suboritur maxime quoque terreat ob promtissimum sphacelum. Peste aliisque morbis acutis extincti non protinus inhumandi sunt. Plures metu quam peste intereunt. *Rivin. Diemerbr.*

Febris semitertiana.

Cognitu difficilis est & difficilior curatu. Ferus, longus periculosissimusque morbus est; rarus ast exquisitus. Frequentior est in viris quam feminis; crebrius evenit in ætate vigentibus, temporeque auctumnali maxime accidere solet. Nocturna non admodum letalis est, verum longa; diurna longior & ad tabem vergit. *Hipp.* Qui longis laborant morbis, semitertiana maxime pereunt, v. g. phthisici. Affectus lethargici facile accedunt, vigiliæ molestæ, lingua arida & sicca, deliria. *Bagl.* Finitur spatio dierum 9. ad 14. vel in salutem vel metastasin vel in mortem. Si longius protrahitur, migrat aut in suppurationem, lentam, hecticam, aut in hydropem, aut, quod rarius, in intermittentem tertianam, cotidianam, simplices, quandoque duplices. In aliquibus succedit scabies totalis. Solvitur sudore; maxime ac salutariter diarrhoea biliosa, pituitosa, cruenta, purulenta; doloribus in ventre acerbioribus, typum servantibus, & hos excipiente excretione sanguinis nigri, vel diarrhoea saniosa & purulenta. Mala signa sunt: ardor circa præcordia, in ventriculo cum tensione, vomitus, singultus, inquietudo, jactatio, tremor manuum; indicant enim intestina inflammata

mata & erysipelatosa, ex quo sphacelus necans sub accessu gravioris paroxysmi. *Spigel. Hoffm.*

Febris synochus.

Synochæ nostri cæli communiter non sunt continentes, sed continuæ remittentes. Pruritus narium & lenis mador cutis est prope infallibile signum synochi simplicis. *Waldsch.* Periculosior noscitur ex urina livida vel fœtida, excrementis talibus, sputo amaro, pulsu inordinato, delirio, statu diuturniore ad dies 11. 14. &c. Homotonos salutaris; pessima anabatica; melior paracmastica. *Boerh.* In junioribus facile excitat phrenitidem, convulsiones, in adultioribus sopores. Peripnevmoniæ in principio, anginæ in incremento, facile accedunt, omine malo. Raucedo in synocho putrida frequens est & mala. Quibus in synocha caput continuo dolet, nec quidquam remittit, malum atque mortiferum est, maxime in pueris. Solvitur die 4. 7. 11. largo sudore, hæmorrhagia, rarius per alvi fluxum, ni quid maligni subsit. Protrahitur quoque ad dies 14. 17. mala medicatione vel neglecta plane. Calor siccus, cephalalgia in crisin usque increscens & continua, ad hæmorrhagiam tendit. Crisis hæmorrhagica excedens vel suppressa relinquit hecticas, cachexiam, hydropem, viscerum oppilationes. Alvi fluor sub initium copiosus à multa materia, morbum brevem reddit. In synocha somnolentia & delirium non æque, sed dejectio alvina subita, impetuosa, fœtens, atque purpura, inprimis alba, maxime extra dies criticas, sunt periculosa, utpote sphaceli

celi teſtes; *Hoffm.* contra die critico aliquando puſtulæ hæ ſalutares ſunt. In ſynocha niſi coctio in urina appareat, nulla eſt ſalutis firma ſpes. Urina quanto rubicundior ab initio, ceteris paribus, tanto ſecurior & cito morbum ſolutum iri ſignificat, ſi in ea ſigna concoctionis appareant; aſt cum cruditatis ſignis mortis periculum minatur, præcipue ſi vires ſunt debiles. Urina alba peſſima, mortemque utplurimum portendit. *River.* Facilis tranſitio eſt à non putrida in periculoſam putridam (ubi febris magis augetur cum urina tincta ſine concoctionis ſignis, male olente ac corporis fœtore) & ab hac aliquando rurſus in continuam tertianam. Necat ſphacelo meningum, ventriculi, inteſtinorum.

Fluor albus.

Circumferentia tumida, livida vel plumbea, continuans, ſub oculis, fluorem album indicit. *Bagl.* Nobiles præ vilioribus crebrius adficiuntur. Probe diſtinguatur à menſibus ſic dictis albis juniorum, qui cruentorum prodromus, & vetularum. Fluore albo laborantes ad purpuram pronæ ſunt, maxime ſi ſupprimatur; Pedes utplurimum habent tumidulos alvumque duram. In feminis hæmorrhoidum anomaliis, ſuppreſſione, laborantibus, facile naſcitur fluor albus, vel etiam menſium fluxione antegreſſa nimia. Morbum huncce plus ſæpe inducunt ſecundæ violenter & improvide extractæ. Fluor albus benignus, recens, mitis, non continuus,

non

non copiofus, haut mali coloris, odoris confiftentiæ, medicationem recipit; benignus inveteratus, continuus, difficilius curatur quam malignus, quin cum vetulis commoritur. Quandoque criticus eft, nilque in receffu habet, licet odiofus ac moleftus fit, modo moderatus neque continuus exiftat; per hunc enim quafi univerfalem fonticolum excrementitii humores evacuantur. Facile recidivat, maxime ubi vifcerum fubeft infarctus. Fluor albus qui à fumma ventriculi imbecillitate ac cachexia, maciem cum lenta febre invehit. Benignus mucofus menfium vices quandoque fupplet. Si cachecticæ & malum inveteratum facile ἀτροφία, tabes, fterilitas, fcirrhus, cancer uteri, excrefcentiæ in vagina, oedema, hydrops, prolapfus, abortus hinc fluunt. Benignus fuppreffus gignit affectus fpaftico-rhevmaticos, hemicraniam, arthritidem, hyftericum malum, cardialgiam, colicam, contracturam, dyfuriam aliaque renum & veficæ mala ulcera inprimis veficæ, melancholiam, uteri inflammationem, gangrænam, abfceffus, ulcera ejusdem, tabem, afthma, febres catarrhales &c. Novi fluorem album chronicum per fudores nocturnos, fœtidos, largiffimos, in femina obefa perfecte curatum. Obfervavi pluries ex fluore albo benigno repreffo febrem catarrhalem, & ex hac revocatum iterum fluorem; alia vice fcabiem univerfalem, humidam, pruriginofam. Horrores fluorem album cohibitum aliquandiu expellunt. *Carl.* Ex fluore albo benigno fuppreffo in uteri locis maffa tenax, dura,

quan-

quandoque condensatur, in hypogastriis duritiem, spasmum, tabem, procreans. Uteri coryza quæ externa abs causa non multum habet in recessu. Gravidarum fluor albus, ut symptoma embryone edito cessat. Venereus suppressus infert decubitus ulcerosos, scabiosos, quin fœdam Luem invehere valet. Fetum non inficiunt fluore albo venereo detentæ, si mali sedes circa urethram in mucosis folliculis, haut in ipso utero. *Boerh.* Catarrhus uteri ex hæmorrhoidibus interceptis sub catameniorum quoque fluxu perdurat, ergo continuatio fluoris catarrhosi albi sub catameniis non firmum, solum sumtum, venerei fluoris est indicium. *Brendel.* Fluor venereus habet humorem tenuem & serosum, non venereus viscidum. *Pitcarn.* Venereus requirit effluxum materiæ putridi odoris, excoriantis, urentis, inflammantis, flavo-viridescentis, exulcerantis, squalidum faciei aspectum, doloris versus noctem exacerbationes, vaginæ immisso acido quodam, licet pauco, dolorem acutissimum. Sanguis menstruus cum materia virulenta facile commiscetur, ergo cessatio ejus sub lunari purgatione uteri iterum nil dicit. Memini venereum chronicum fluorem sic largum, ut lectos penetrarit altius subter positos alluvies emanans.

Fluxus hepaticus.

Fluxus hepaticus noſtris in terris rarus eſt, at ſat moleſtus curatuque difficilis, ſi diuturnus; Recens in junioribus & vegetis curatur interdum. Tranſit in cachexiam, tabem ac hydropem, maxime in ſenibus ac imbecillis. Proprie eſt ex hæmorrhoidalibus ſuperioribus veniens fluxio. *Jo. Salzm.* Fit aliquando ex hæmorrhoidibus recti recentis, illisque hic iterum tolli poteſt. Finiri ſolet & catarrhali febre. *Comm. lit. Nor.* In ſtatu ejus obfirmato irritus omnis labor eſt. In pueris verminoſis aliquando obvius eſt. *Comm. lit. Nor.* Fluxu epatico ſolvuntur hepatitis febresque ardentes nonnunquam. Malus, peſſimus, qui eſt ex putrefactione ſuppuratoria epatis. *Boerh.* Dyſenteriæ non raro ſolet ſuccedere, & proſtratis jam viribus, mortem plerumque infert. *River.* Hæmorrhoides cæcæ quandoque fluxum hepaticum mentiuntur, ſimile humidum inſtar loturæ carnis plorantes, ſtillantes.

Graviditatis notæ ac incommoda.

Prægnantia in quocunque tempore ſit, nullatenus cognoſci poteſt per ſigna quædam certa, infallibilia, demonſtrativa, ſed ſaltim per aliquot conjecturas & ſigna quædam probabilia. *Zach. quæſt. med. legal.* Si mulieri menſtrua non prodeant, neque horrore neque febre ſuper-

perveniente, cibique faſtidium accidat; prægnantem eſſe putato. Graviditatis tanquam criterium adferunt odontalgiam, ptyaliſmum; notavi aliquoties in juvencis eruptionem ſapientiæ dentium & ſub altera impræguatione repetentem, vere fere eandem indixiſſe. Sed hæc fallacia ſunt. Feminæ, quibus, ſi lac habent, menſtrua ſimul fluunt, facilius quam alias concipiunt, & prægnantes fiunt. *de la Motte*. Gravidæ arctiorem thoracem gerentes gravia ſibi embryonique inducunt mala. Vidimus fetum mortuum excluſum inſtar metæ ſacharinæ hinc acuminatum. Gravidatæ, quæ ad 4. 5. menſem vomitibus fatigantur, tarde iis venter intumeſcit, & non niſi ad deficientes vomitus. *Pechl*. Si gravida de ardore ac æſtu queratur in interioribus abdominis, deſignat congeſtionem ſanguinis atque infarctum, & poſt partum febris metuenda eſt. Mola, aqua, flatus, mucus, lenta viſcidaque pituita, caloris vi indurata, graviditatem plus ſæpe mentiuntur. *Dodon*. Prægnationem veram à mola, uteri hydrope, diſcernes, ubi mammæ grandeſcunt, latera lumbique exporriguntur, venter totus ſine moleſti ponderis ſenſu ullo intumeſcit. Certius autem ceteris longe ſui præbet embryo indicium, ubi moveri incipit, quod plerisque omnibus media imprægnatione accidit. Graviditate cum hydrope juncta vix ſemper motus fetus omnino ſupprimetur, fietque inſenſibilis. Graviditas infra medium tempus adhuc conſtituta ſæpe hecticam, φθίσιν, hydropem Medicis imponit. Teneſmus mulieri gravidæ ſine

alio morbo superveniens, cum reliquis signis infallibiliter mortuum significat fetum. Tenesmus ex uteri pondere, fetu enixo, abit. Nulla diarrhoea, maxume cum febre ac torminibus, in gravidis tuta est. Prægnantium nauseam si vomitus non sequitur, facile incidunt dyspnoea, vertigo, anxietas, levis animi defectio. Si in jam gravidis subito ubera emarcescunt, aut si acuto morbo rapitur mulier, abortus periculum est. Duræ mammæ incolumem testantur embryonem. Molæ in gravidis pluries, & multo quidem cum cruore, sine fetus noxa, excluduntur. Interdum per aliquot septimanas aut per mensem fit aquarum ex utero effluxus præmaturus, quod periculosum videtur, ne scilicet fetus emoriatur; verum copiosa fluxio talis vel 6. ad 8. ante partum hebdomades pluries accidit, sine omni embryonis noxa. *Ettm.* Aquis sæpius forte intra amnium & chorium, vel hujus duplicaturam collectis, effusis. *Pechlin. Comm. lit. Nor.* Varices in ventre, pedibus gravidarum ruptæ, quandoque emortualem inducunt sanguinis profusionem. *Comm. lit. Nor.* Varices ecchymomata, excluso fetu, abeunt. Varix umbilici in gravidis metum incutit hæmorrhagiæ umbilicalis, momentosæ sane; solvitur varicibus vel fluxu hæmorrhoidum. Si gravida sine causa manifesta emacrescit, magno periculo parit, vel certe abortiens in discrimine versatur. Quæ ceterum sanæ extenuantur sub gestatione, fetus edunt saniores, & contra, quæ pinguescunt, graciliores. Urinæ difficultas si urget, quære de

prolapſis uterinis vel veſica urinaria. Prægnanti ſi acceſſerit convulſio vel epilepſia, ſolvitur partu edito. *Hipp.* Gravidæ quartanariæ nonnunquam partu liberantur. Mulieres valetudinariæ, hæmicraniæ, hæmoptyſi, arthritidi obnoxiæ, ubi alvo gerunt, aliquando ſanius valent, forſan in embryonem translato vitio. Sic novimus miſellam arthriticam, quæ gravidata ſemper bene valebat, infirmos aſt, rhachiticos factos, edebat infantes, reliquo tempore articulorum tormentis, contracta tota membris, excarnificabatur ſemper. Tumor pedum qui ultra genua vel ad ipſum abdomen non procedit, ſponte ſemper recedit; qui abdomen invadit, quod poſterioribus maxime menſibus evenit, immedicabilis eſt & potius abortum provocat. Aſcitici tumores ſolvuntur nonnunquam per puerperii purgamenta, niſi φθισις vel hectica eadem foveat. *Carl.* Si à primis menſibus hi oriantur, abortus metus eſto. Gravidæ inclinant præ aliis communiter ad epidemicos & contagioſos morbos, ubi abortus periculum ſemper adeſt. Epilepſia, vertigo, cæcitas, ſurditas, aurium tinnitus in gravidis facile recurrere ſolent; poſt partum utplurimum remittunt. Superfœtatio rarius accidit niſi forte in utero duplici; extra hunc caſum ſi evenit, utrique embryonum abortus imminet, recentius maxime concepto, certo, ubi prior excluditur partu maturo; rariſſime nato primo junior ad ſuum geſtatur diem juſtum. Nævi materni maxime fiunt à medio prægnationis ad partum usque; *Stahl.* quin paucis ante hunc

H 3 die-

diebus talem contingere deformationem, pernotum eſt. Protinus poſt mortem nævos & figurata ſtigmata interire, obſervatum ab aliis omiſſum, adducit *Pechlinus.* Quæ à matre ſæpe vel non advertuntur aut leviter percipiuntur, inſignem ſui notam in fetu relinquere, & contra, quæ graviſſima matri incumbunt, etiam imaginario metu comitata, nullum tamen ſui veſtigium embryoni imprimere, idem corroborat *Pechlinus.* Febres intermittentes in gravidis male ſuppreſſæ & poſt partum recidivant. Embryo emortuus judicatur, ſi junctim hæc adſunt: motus ceſſans, pondus in ventre intumeſcente & frigido grave, anxietas, horror feminæ, ſyncope, teneſmus, funiculus umbilicalis propendens frigidus, membrum prolapſum ſine pulſu ac lividum cum cute abſcedente, meconii excretio. Arteriarum ictus in membro obvio non percepti, epidermidis ſeceſſus, & in vivo incidere poſſunt infante ab interno uteri ore valenter compreſſo membro; ſola ideo emortui non ſecuram dant notam embryonis. Niſi quantocyus ejiciatur embryo mortuus, vis ad excluſionem defectura eſt cum reliquis viribus, lipothymia & vitæ periculo. Ex putredine ſuboriente graviſſima ſubnaſcuntur mala, inflammationes, deliria, convulſiones, & his forſan ſuperatis, hectica, cachectica, chronica. Femina, quæ à proximo puerperio, antequam menſes ſemel vel iterum redierint, mox denuo impregnatur, incommodius utero geſtat.

Hæ-

Hæmoptyſis.

Qui ex faucibus & gurgulione ſanguis fertur, is ſcreatu pellitur: qui ex ipſo ore, ſimplici ſputatione: qui ex ventriculo, vomitu: qui ex aſpera arteria vel gutture tuſſicula: qui ex thorace & pulmone, valida tuſſi. *Lomm.* Si ſanguis cum materia catarrhali ad fauces ſtillat, à capite manans, eſt dolor & gravitas capitis, faciei rubedo, reſpiratio facilis, catarrhi ſueta frequentia, tuſſis non magna, ſcreatio crebrior, ſanguis excretus non adeo copioſus, non floridus. Quidam ob naturalem pulmonum mollitiem ac laxitatem ſanguinem ſpuunt. Prognoſis ſit cauta in gravi hæmoptyſi; niſi intra triduum compeſcatur, malum. Sputum cruentum ac hæmorrhoides palati bene diſtinguantur ab hæmoptoë. Aliarum excretionum ſalutarium ſanguinearum vices quandoque, & quidem ſtatis temporibus, ſine periculo innoxie gerit. *Rhod. Hoffm. Barthol.* Facile recidivat, atque per ſe anceps & periculoſa eſt ob metum non futuræ conſolidationis, hinc ulceris, φϑισεως. Hæmoptoë arthriticum acceſſum prænuncians, terribilis quidem, ſed non peſſimi prorſus ominis, modo pulmones integri, ἐυσοοι ſint, & curatio apta inſtituatur *Musgr.* Quæ à cauſa externa, potius medelam admittit, quam quæ ab interna. Si cito poſt hæmoptoën ejiciantur phlegmata purulenta, inodora, non habent vomicam, ſed talia ſputa bona ſunt. Bonum ſignum eſt, ſi facile ſanguis egeritur,

nec nimius, nec rebellem tussim relinquit, nec revertit facile, nec sæpe. Sine febre esse hæmoptyicis conducit, ac tussi doloreque leviter molestari, sputumque ad d. 14. tenuari; & contra, Qui sanguinem spuit, is, si in latus infirmum incumbit, impensius id facit. Si sputum ab eroso pulmone, nullus medicinæ locus, si autem à rupta vena, ab initiis valetudinem recepisse, observatum est. Convulsio, singultus, epilepsia superveniens, fere letalis. A sanguinis sputo puris sputum malum. *Hipp.* Maximum est discrimen in senibus cachecticis, scorbuticis, quorumque pulmones labe notati magna; contra in antea robustis sanis. Nunquam ab adstringentibus medicamentis salutaris sequitur effectus, nec à balsamis, ea enim suppurationem promovent. *Boerh. Burggr.* Tussis si persistit, indicium præbet, sanguinis grumos adhuc hærere in pulmone. Ab ulceribus crurum antiquis arte consolidatis meminimus symptomaticas hæmorrhoides, hæmoptoën, alia iterum vice uteri hæmorrhagiam; cuncta curata.

Hæmorrhagia in genere ac κατ' ἐξοχήν.

Qui ex vulnere subinde rigentes sanguinem profundunt, ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. Ex hæmorrhagia nimia desipientia, singultus, convulsio, communiter letale. Quæ ex dolore lumborum cientur hæmorrhagiæ, largæ esse sueverun.

Hipp.

Hipp. Hæmorrhagiæ ſalutares ſunt illæ, quæ temperaturæ ægri & naturæ morbi conveniunt, neque in quantitate excedente aut deficiente, nec in tempore, modo vel loco excretionis peccant. Quibus ſanguinis eruptiones perſeverant, in iis progreſſu temporis alvus male afficitur, niſi urina concocta prodierit, quam forſan diluta ſignificat. Qui per ſanitatem crebro inhorrescunt, ii ex ſanguinis fluxu purulenti evadunt. Hæmorrhagiarum indices horrores magis ſunt, ſudorum potius rigores. Rigor poſt hæmorrhagias & criticis diebus perfrigeria valida poſt hæmorrhagias, peſſima. Quibus acute febrientibus larga evenit hæmorrhagia, his à morbo refectis, alvus fit fluxa, maxime ante annum ætatis 40. donec ſucceſſu dierum natura vires ſuas recuperarit. *Hipp.* Hæmorrhagiæ pluries ſeſe addere ſolent criſibus febrium per ſudores. Si poſt 4. diem in acutis ſanguinis fluxus fiat, diuturnitatem ſignificat & alvus erumpet & crurum tumores erunt. Caligo tenebricoſa, rubor oculorum, faciei, cervicis dolor, temporum gravitas, pulſatio, lacrymæ involuntariæ, horror, inſomnia vexantia, pruritus naſi, palpitationes circa ventrem, hypochondria tumida, dura, non doloroſa, ſtillæ die indice, prænunciant hæmorrhagiam narium ſive κατ' ἐξοχὴν dictam; idque potiſſimum in junioribus, plethoricis & huic fluxioni obnoxiis. Sanginis eruptiones in naribus ex parte adverſa creduntur malæ, velut in lienis tumore ex nare dextra, maxime ſi cum tenui circa frontem ſudore. Hæmorrhagia præcavet quandoque

parotides. Sæpe nascitur ex medicatione nimis calida in acutis. Larga à magnis morbis liberat. *Hipp.* Succiplenis aliquando salutaris est; testantur præposteræ suppressionis damna. Frequens nimis pueris præsagit in juventute hæmoptoën aliosque pectoris morbos in adultis mala hæmorrhoidalia, arthritica, nephritica. *Stahl.* Frigidis ilico capiti, nuchæ admotis, pluries apoplexia, spasmus, inducitur, vel sanguis ad pulmones infelici successu ruit. Enormis ac chronica tandem necat sub lipothymiis. Immodica semper non est vilipendenda. Solvit eandem aliquando hæmorrhoidum fluxio. Puerperis febre correptis acuta sanguinem naribus prodire, vel imminente morte, vel brevi post, non rarum est. Quisquis critice sudarit in horroribus, ast postridie denuo horreat, simul pervigil, ille cocta evacuabit cum hæmorrhagia. *Hipp.* Quæ menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fundit, bono est. *Cels.* Moderata hæmorrhagia in juvenibus, plethoricis, febricitantibus, phreneticis, maniacis, inflammatione viscerum, suppressione hæmorrhoidum, mensium, lochiorum affectis, & similibus, tutissima per & in se. Sanguis è naribus erumpens periculo est, si alvus arcte conclusa caprarum stercoribus similia excludit, maxume in acutis. *Hipp.* Malæ, ubi sanguis nimis tenuis, fluidus, nimis crassus, feculentus, cinereus, lividus pravique porro coloris excernitur. Largæ sanguinis è naribus eruptiones per vim suppressæ interdum convulsiones accersunt. In acutis, po-

potiſſimum malignis, ſanguis magis vel minus diſſolutus, naribus erumpens, prognoſin format morbi ipſius genii. Pauca ſanguinis excretio die indice in acutis rariſſime bona, plerumque peſſima, niſi urina cocta die critico copioſam prænunciet. Quibus in principiis febrium largius ſanguinis profluvium, rigor fluxionem ſiſtet, etſi omine non ſecundo plurimum. Stillæ ſanguinis inprimis circa 4. diem in acutis, præcipue pnevmonicis & phreneticis, certiſſimam mortem præſagiunt. Peſſimæ cum ſurditate, exiguis ſudoribus, horroribus fugitivis, torpore, comate, vigiliis, delirio, niſi largiter vomant aut alvus fluat, contra, ſi ſeceſſus exigui, crebri, urinæ, vomitus parvi. *Hipp.* Sanguinis ſtillæ è naribus in febribus continuis nonnunquam vermium latentium ſigna ſunt, maxime in infantibus. *Bagl.* Hæmorrhagiæ in intermittentibus, vermibus complicatis, haut infrequenter occurrunt. Quæ exanthematicis vel malignis cum ſumma virium proſtratione accidere ſolet hæmorrhagia, ominis mali eſt. Quæ in chronicis morbis cum viſcerum labe, cachexia, hydrope, utplurimum funeſta eſt, maxime ſi parva. *Hoffm.* Ex narium hæmorrhagiis in ſenibus, potiſſimum poſt ſuppreſſas hæmorrhoides, apoplexiæ metus eſt.

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoidum & ſeminalis excretionis conſenſio arcana eſt. *Heurn. Werlhof.* Hæmorrhoides in ſe morboſum involvunt ſtatum. Prodromi ſedis hæmorrhoidum ſunt lumborum

do-

dolor ſine cauſa veniens, prurigínoſi ardores in orificio inteſtini recti & ſenſus noduli alicujus incluſi in una alterave inteſtini parte. Hæmorrhoidariæ conſtitutionis homines in febres pectoris inflammatorias rhevmatismosque proni ſunt, & his ſanguinis profluviis juvantur. Hæmorrhoidum molimina pectus verſus facta ſæpe φθισιν imponunt. Hæmorrhoides varie mentiuntur lumbrici, aſcarides motus hæmorrhoidales, qui Medicum eo facilius quandoque fallunt, quum quovis menſe recurrere aliquando ſolent. *Iunck.* Hæmorrhoides ſedis cruentæ & neonatis contingunt, quod vero perrarum. Hæmorrhoides in pueris & infantibus circa pubertatis annos letalem pluries ſortiuntur eventum, ni prius necarint. Nec præmaturæ juniorum nec provectiori ſub ſenio demum erumpentes, exoptatas ferunt prædictiones. Fluxus hæmorrhoidum facile adſuescit, & impeditus gravia poſt ſe trahit pericula. Hæmorrhoides, calculus, arthritici affectus affines ſunt paſſiones atque inter ſe alternantes. Cruentæ nimiæ vel anomalæ cum cephalæa vel hemicrania plus ſæpe variant. Fluxus hæmorrhoidum internarum multis infimi ventris morbis ſuccurrit, æque arthriticis, atra bile vexatis, nephriticis. Fluxus hæmorrhoidalis in laborioſis plerumque eſt letalis. *Iunck.* Ex hæmorrhoidibus ſedis fluentibus cruentis fotu ſtiptico in puero ſexenni ſuppreſſis notavimus umbilici hæmorrhagiam chronicam, contumacem, per ætatem tandem ſilentem. Hæmorrhoides externæ ani raro periodum ſervant in fluxu, enata

ta vero veſiculari protuberantia, promtiores ad recurſum exiſtunt; pluries magis perpetuo fluunt. Vices hæmorrhoidum quandoque ſupplet fonticuli, quem quis gerit in artubus, hæmorrhagia, vel quoque illa ex naſo in juvenibus. Criſis in acutis per hæmorrhoides judicatur, ſi nulla alius adſunt ſigna nuncia, & tractio, gravitas, tenſio moleſta, ſpasmodica per infimum dorſum ad os ſacrum cum æſtu eorundem ſupervenit circa diem criticam, 7. maxume, cum horripilatione extremorum moderata. Hæmorrhoides cruentæ nimiæ ducunt ad cachexiam, icterum, tabem, hydropem. Æque obſtructæ. Ominantur viſceris labem ſubeſſe. Interceptæ, ſuppreſſæ cruentæ creant inflammationes viſcerum, aſthma, tuſſim, icterum, hydropem, hernias, φθισιν, colicam, cardialgiam, apoplexiam, arthritidem, paralyſin, eundi impotentiam, vomitum cruentum, hæmoptyſin, hypochondriacum, hyſtericum malum, pudendorum quosvis morbos Paturſæ æmulos. *Segner. Brendel.* Ex ilibus (*Beniv. Holler.*) gingivis, malis, prævio tumore in his nodoſo, itinere anomalo, ſæpe largo rivulo, fluunt hæmorrhoides, æque ex faucibus ac palato, hæmoptoën mentiendo. Hæmorrhoides veſicæ urinariæ plerumque cruentæ ſunt, raro mucoſæ; porro non ita typicæ & juvantes, ut illæ ſedis. In nephritide, arthritide, iſchiade auxilio ſunt. Si ſphincteris vaſa ſanguinea turgent vel grumi eidem inhærent, urinæ ſequitur ſuppreſſio; In feminis rite menſtruatis ſunt mitiores quam in viris & non menſtruatis.

Cruen-

Cruentas noſce ex ſanguine coloris lateritii vel grumoſo figura oblonga vermiculari prodeunte. Penis hæmorrhoides judica ex ſanguine ſincero, rubro, pauco, involuntarie citra mictionem, etiam in ſomno, ſtillante, dolore urethræ. Hæmorrhagia penis magnitudine differt fluxionis, facileque incidit ex alia fluxione ſuppreſſa, venere nimia, cantharidum incauto uſu. Hæmorrhoides cæcæ ani inflammatæ, diſcuſſione non impetrata, ad furunculorum modum ſuppurantur, & ex longa mora ſæpenumero fiunt fiſtulæ, quæ vel ad natium muſculos excurrunt, vel ad veſicam urinariam vel ad vaginam uteri protruduntur &c. Hæmorrhoides cæcæ uteri tantum vaginæ non ſemper in fiſtuloſos abeunt affectus. Magis periculoſæ ſunt internæ cæcæ quam externæ; hæ ad pugni magnitudinem aliquando accretæ notantur, *Lindan. ad Hartm.* Ex dolore continuo cæcarum facile incidit æger in febrim, vel inflammatio ac ſuppuratio ſupervenit, unde abſceſſus & fiſtulæ ani, vel letalis ſphacelatio inteſtinum ſub doloris tyrannide occupat, ubi excrementa fœtidiſſima prodeunt cum pulſu debili ac frequenti, ſumma virium proſtratione, animi defectione, excipiente morte; Simul vicina, ut ſcrotum aggreditur ſæpe ſphacelus. Hæmorrhoides mucoſæ ſive albæ cruentarum vices ſæpius ſupplent, ſuſpecta tamen ſemper eſt illa evacuatio, nec certam ſalutem promittit; facile epatis ingignunt infarctum, vel jam ſubeſt idem; ſæpe typum intermittentis aſſumunt febris ſedis albæ hæmorrhoides. Veſicae urinariae albae & hujus

ſpasmus

ſpaſmus plus ſaepe ſeſe invicem excipiunt. Rhagades & condylomata haemorrhoidalia vix occurrunt, ni venerea lateant inquinamenta.

Hepatis Lienisque morbi alii.

In chronicis morbis ſi facies naturalis ſit ac boni coloris, nunquam crede adeſſe obſtructiones aliaque vitia in viſceribus. *Bagl.* In veris viſcerum obſtructionibus urinæ paucæ ſunt & albæ. Hepatis vitia, ni tollantur, transmigrant vel in tabem vel in hydropem. Induratio epatis in cholericis vel ſiccis hecticam, in humidioribus hydropem inducit. Hepatitis vera morbus eſt periculoſiſſimus, & difficilis cognitionis; *Hoffm.* ſi in ſuppurationem abeat, vel indureſcat inflammatio, vel gangræna ſequatur peſſimum ſemper. Solvitur hæmorrhagia, ſudore, diarrhoea, fluxu hepatico. Si ſupervenerit ſingultus, utplurimum letale. Facile ex ea fit paraphrenitis, omine ancipiti. Hepatis inflammatio quandoque ita parva eſt, ut reſpiratione magna tantum deprehendatur, talisque multis ſæpe menſibus trahitur. Inflammatio in parte gibba periculoſior eſt illa in ſima; hæc ſudoribus, cita alvo aut vomitu conquieſcit; illa ſudationibus, fuſis urinis aut manante è naribus ſanguine tollitur. Si inflammatio ſit in parte gibba, urgent ſymptomata pleuritica, ſi in ejus cava, ſtomachica. *Bagl.* Si inflammatio, abſceſſus in epatis parte gibba, tumor in latere dextro tangitur, exaſperatur

hinc

hinc dolor, decubitus in hoc latus est difficilis; spiritus laboriosus multaque tussis; Si in sima tumor tangi nequit, decubitus in sinistrum latus difficilior est, sitis, singultus, nausea, dejectiones biliosæ urgent, stomachus patitur magis quam respiratio. Alvi profluvium in quavis jecinoris inflammatione, morbo adhuc existente crudo, malum est. Mala corporis liquatio accedente vel raucitate vel multa tussi. *Hipp.* Mortiferum in his est inflammationibus spumantem sanguinem exscreari, vel sputum statim subputridum vel sincere biliosum esse. Hepatitis spuria ni discutiatur, tabem facile inducit, musculorum abdominis, quin epatis sæpe infert abscessum. In obstructis hepate ac liene alvus plerumque obstipata est. Epatis obstructio facile degenerat in quartanam, asthma pituitosum, cachexiam, hydropem. Tumor epatis obsesso spleni superveniens, bonum, & contra splenis epati. Quibus ad hypochondrium dolor est sine febre, iis eadem superveniens dolorem sedat. Tumente hepate vel liene si intumescunt pedes, hydrops in proximo est. *Hipp.* Increscit aliquando ex obstructione hepar, ut totum fere occupet abdomen. Epar ex aurigine durum, perniciosissimum est, & v. v. aurigo ex hepate duro. *Hipp.* Jecore affecto dolores ad jugulum è directo fiunt, tusses inanes spirandique difficultates. Quibus jecur aut lien ex scirrho vel alia de causa obstructum est, ii difficulter sudant in morbis. Qui sanguinem nigrum, fœtidum, concretum evacuant per alvum, si dextrum hypochondrium

drium fuerit durum, tumidum ac doloroſum, facies citrina, certo moriuntur, ſi cibi adeſt faſtidium, carnis maxume, frequens ac multa eſt ſitis, febris, virium dejectio, ſingultus, vomitus ſeri vel flavæ bilis, corporis tabes, de hepatis meditare corruptione ſphaceloſa. Quibus hepar dolet cum oris ventriculi dolore, ſopore, rigore, ii alvo exturbata cum corporis extenuatione, faſtidio ciborum, multis, tenuibus ſudoribus diffluunt, & purulenta per alvum infauſto dimittunt omine. Hepatis apoſtematibus & ulceribus ſi accedit aſcites mentiens tympanitidem, icterica tabes, fluor alvi colliquativus, animi deliquium, pulſus omni modo malus, perturbatio functionum omnium, brevi mors erit. Hepatis abſceſſus frequenter ſuperveniunt capitis afflictionibus, læſionibus, præcipue ſuccedente d. 3. febre, timendi. *Ballon.* Epatis abſceſſus plerumque exitiales ſunt, ſemper diuturni ac cancroſi facile. Epatis & meſenterii abſceſſus fiſtulam umbilici aliquando gignere vidi. Abſceſſus hepatis latentes denunciant intolerabiles cruris aut ſuræ dolores, nullis cedentes medicinis. *Hipp.* Tabes epatica non tam cita eſt ut pulmonalis. Jecinoris parenchyma, intacta & integra membrana, quandoque in pus merum abit. Si epatis abſceſſus ad extra vergat, ac pus effluat album & coctum, ſpes eſt ſanationis, ſed in genere maxumum eſt periculum atque pauci evadunt; Perniciale porro, ſi ex jecore pus cruentum, feculentum, cœnoſum, viſcidum, fœtidum exeat. Sphacelatio in epatis parte gibba lentius

procedit ac ullæ aliæ. Verum hepatis ulcus nunquam poteſt ſaneſcere; corpus non alitur ſed fere tabeſcit, putrida, ſanioſa & interdum cruenta eſt alvi dejectio, & ſæpe quaſi ex cadavere facta colliquatio. *Foreſt.* Ex ſcirrho jecinoris icterus perpetuus. Ex epatis ſcirrho pereunt quam plurimi in tempore longo; quidam etiam brevi, qui ventris profluvio laborant. Scirrhus epatis, lienis, qui incipiens ac doloris cujusdam particeps, curationem recipit adhuc. Ex ſcirrho enati cancri notam dat dyſenteria putridiſſima; ex ardente febre, hepatitide, male tractatis, hæc ſequuntur ſæpius. *Boerh.* Quamdiu calculi fellei quiete jacent, nullas creant moleſtias ſenſibiles, æque ſi non grandes nec aſperi. In feminis crebrius reperiuntur quam in viris. Non datur certius criterium fellei calculi, quam ejusdem per alvum ſeceſſus. *Hoffm.* Spaſmi doloroſi ex calculo felleo pluries ſunt periodici. Ira cum triſtitia & metu, nempe ubi vindicandi ſe occaſio aut facultas deeſt, calculis felleis quin & nephriticis præbet occaſionem aliquando. *Pechlin.* Tartareæ & calcnloſæ bilis concretiones affectionesque in ſuis organis tympaniticæ ſunt. *Bagl.* Spasmi dolorifici ex calculo felleo non ſunt inferiores illis ex renali vel veſicali urinatio. Liene inflammato ſpiratio interſecta eſt, quæ pueris eſſe ſolet per iram ejulantibus. Rariſſime obvenit, quæ non in ſcirrhum abeat. Interdum ſequitur vomitum cruentum, nonnunquam in eundem erumpit. Vomitus nigri circa diem criticum contingentes, æque aliquando

quando fluentes hæmorrhoides, ſolvunt morbum ſplenis inflammatorium. Lienis palpitatio interdum ſatis vehemens eſt, ut ab adſtantibus audiri queat. *Tulp.* Lienis tumor longior, aſt ſecurior eſt illo hepatis; per intervalla quandoque magnitudine variat, quod ſecurius, quam ſi aſſidue magnus manet. Non pauci cum duro liene ſibi relicto vitam omnem ſine incommodo exigunt. Lienis tumidus aliquando per urinas expurgatur, nigricantes quandoque, atramento ſimillimas, ſumma cum euphoria, aliquando multas, craſſas, feculentas, quaſi ſanguineas cum ſedimento multo; aliquando finitur tumoribus ad articulos; (*Holler.*) alia vice hæmorrhoidum internarum fluxu ſalutariter detumeſcit; vomitu cruento pariter minuitur, ſed utplurimum funeſto cum exitu; ſucurrunt itidem diarrhoeæ ſeroſæ. Succedunt ſpleni magno vel ſanguinis vomitio vel ſcorbutus vel aſcites. *Dodon.* Lienes tumidi, ſi illis non veniant ſanguinis eruptiones & oris graveolentia, deſinunt in ulcera prava tibiarum & nigras cicatrices. *Hipp.* Jejuno ventriculo lien tumefactus ſupra meſenterium, inteſtina, ventriculi partem, ac in muliebribus ſupra uterum imminens tangitur. Initio hi tumores non moleſti ſunt, dein vero gravativo & obtuſo dolore ſomnum in latere dextro prohibent, accedit ſudor nocturnus uberrimus. Ingraveſcente malo hæmorrhagia, oris fœtor, pedum ulcera ſuperveniunt.

Hernia.

Herniæ immobiles periculi plenæ ſunt. In omni hernia periculum augetur, ſi prolapſa cum continentibus inter ſe glutinantur. Herniæ, quæ ſenſim fiunt, ex dilatatione ſunt peritonæi, quæ ex ruptura, ſubito contingunt, atque cum doloribus magnis. Pleræque fiunt ex dilatatione, paucæ ex ruptione, niſi violentia acceſſerit externa. Ramex ex ruptione ortus per initia non difficillime tollitur, maximeque in pueris: ubi inveteravit, vix unquam curari, niſi manu, poteſt. Ramex ex laxatione peritonæi ortus, vix unquam extra inguina procedit, ex ruptione autem prope ſemper in ſcrotum promovetur. Si poſt repoſitionem herniæ dolores, vomitus, non remittunt, putredinis ſignum habeto. Herniam ex terrore repente poſſe fieri, notavit *Ruyſchius*. Ab hernia ſingultus, peſſimum. Herniam incompletam formant nonnunquam lumbrici effractores, cum vel ſine abſceſſu. *Schulz*. Herniæ incarceratæ die fere tertio vel citius inflammatio ſupervenit. Si maculæ rubræ & nigræ in tumore apparent, ſphacelum ſignificant, magis ſi ſenſus perit, vomitus, febris, continuo ægrum exercent, cum pulſu debili ac oculis quaſi corneis. Si venter diſtenditur atque umbilicus ſurſum attollitur, criterium eſt ad interiora transmigraſſe inflammationem, tumque nulla ſpes ſupereſt, etiam in cultro. Si omentum ſimul prolapſum, minus periculi, quam ubi ſola inteſtina, plerumque ſubeſt. Si propter her-

herniam incarceratam alvus aperta haut eſt, incluſa inteſtini portio, ſalutari ſphacelo ex parte abſumta, novam fecibus viam pandit, reliqua feliciter iterum coadunata, vel ad extus ſemper manente itinere. *Heiſter. Mauchart.* Ἐξομφαλος aſciticis frequens eſt. *Platner.* Non ſine periculo occurrit; facile enim ſtercus prolabitur, flatus retinetur, ex quo, maxime accedente faſcia incauta, inflammatio, febris, vomitus, gangræna, ſphacelus inſuperabilis; idque magis in adultis. Ὑδρομφαλος periculum hydropis fovet, ac plerumque fatalis eſt. Σαρκομφαλος valde durus cum malo ulcere magnoque dolore, ne irritetur, carcinomatis enim genium habet, Enteroſcheocele per επιγενεσιν alterius mali aliquando curatur, v. g, teſticuli inflammatorium tumorem, colicam ſpasmodicam. *A. N. C.* Sarcocele inſignis pharmacis non curatur; diutina facile in cancrum degenerat, ceteroquin etiam ob inſignem molem & dolores moleſta valde. Generationis negotium maxume ſi in utroqne teſticulo, lædit vehementer, immo tollit plane. Si tumor ad ventrem usque per inguen adſcendit, etiam manus auxilium fruſtraneum eſt & mortem poſt ſe trahit, Hydrocele ſine dolore & fere ſine periculo per ſe eſt, ſed non absque moleſtia. Ex mole increſcente quandoque perrumpit. Fame, febricula, de die quoque, utcunque extenuatur, maxume in pueris, at nunquam ex toto tollitur. Inſidiatur iis præprimis, qui in hydropem inclinant. Si in mali habitus corpore humor putris adeſt, fluit, ul-

cerum, fistulæque metum habeto; ubi diutius retenta intus aqua vehementer computruit, ipsum etiam subinde corrumpit testiculum, aut occalescit, atque vel scirrhum vel sarcocelen vel cancrum affert. Hydrocele à causa interna, latente, testem sinistrum occupat magis. *Dodon.* Κιρσοκηλη ex hæmorrhoidibus interceptis atque inflammata veneris concupiscentia curationem si recens recipit facilem, contra, ubi ex corporis habitu cachectico - scorbutico, inveterato, & ubi venæ jam vetustate occalluerunt. Aliquando quid cancrosi occultum habet. Hernia inguinis in feminis periculosior est quam in viris. In utrisque gravis magis cruralis ramex sive μηροκηλη. Hernia dorsalis quasi monstruosa raritas est. Ventrales herniæ reliquis curatu difficiliores sunt, maxume, quæ in interstitiis musculorum rectorum ab umbilico ad pubem usque. Cave, ne pro abscessu musculorum abdominis habeas. Si abs vulnere abdominis vix unquam curatur. Ceteris herniis communiter minus periculi alunt, quoniam locus procidentiæ plerumque amplior est; Si vero graviter constringatur, ileus metuendus. In gravidis non ita timendæ sunt, immo sæpe vanescunt posthæc. Hernia vesicæ urinariæ si à vitio primæ conformationis, morbus est incurabilis; recens & incompleta in inguine facta reponi potest, & illa quæ paulo magis inveterata. Si vesica lotio multum intenta, oriri potest hæc hernia. Quæ cohæret cum vicinis, aut ubi inflammatio adest & strangulatio, auxilium poscit Chirurgi, sed non certum

est

eſt idem; Completa malum eſt graviſſimum in utroque ſexu, & complicatum. Infantibus felicius ſuccurrimus quam ſenibus, in quibus quoque periculoſior; Quæ ex uterino prolapſu vel calculo, his curatis, ſponte vel facile quoque tollitur. *Salzmann.*

Hydrops.

Scorbutus eſt via ad hydropem. Aſthma cum tumore pedum plerumque hydropis prodromus eſt, maxime in ætate provectiore. Dyspnoea nocturna in chronico morbo hydropem minatur. *Plater.*

Gravis per ſe eſt omnis hydrops, curatuque admodum difficilis; graviſſimus, qui morbo alteri, potiſſimum quartanæ longinquæ, ſupervenit, atque qui ex acuto morbo cœpit; inveteratus plerumque incurabilis. Hydrops curatus, non obſervata diæta, modo redit. Hydrops, licet morbus ſit graviſſimus, ægrotantibus tamen tolerantiam & patientiam affert. *Aret.* Levcophlegmatia mitior eſt, difficilior anaſarca, ascites certe periculoſiſſima. Ascites tympanitidi juncta, mali eſt ominis. *Aret.* Leucophlegmatia ab exanthematis non debite expulſis ſanabilis eſt. Feminæ magis ſunt obnoxiæ quam viri, potiſſimum ubi parere deſierint, aut in ſterilitate vivant. Hydrops multoties ſequitur hæmorrhagias nimias. Tuſſis inanis vehementiſſima jecur morboſum prædicit; quam & reliquæ ſpecies vix aut raro comitem habent. Hydropici ad ſudores ſunt diffi-

 ciles.

ciles. Tutius laborant hi, quibus magni modo fiunt tumores, modo rursus occuluntur, dein rursus assurgunt, præ deploratis; sed fere fiducia secundæ valetudinis opprimuntur. Hydropici de recuperanda pristina sanitate periclitantur. *Barbett.* Hydrops per se qui aggreditur periculosior est, quam qui febrim insequitur. Pessimus hydrops à ruptura vasorum lymphaticorum & ille pectoris; istam indigitat tumor brevi post eductionem aquarum recrudescens. Ubi seri extravasatio in hydropicis non præsto est, ibi etiam spes salutis nondum evanuit. Ubi aquæ nondum computruerunt, nec peritonæum erosum, spes superest, & contra; quod è vulnere promanantia significant. Hydrops febri inveteratæ conjunctus aut illi superveniens, plerumque fatalis esse suevit. *Hipp.* Hydrops cum & ex quartana recenti in εὐσπλάγχνοις curabilis est. Si cui multus sanguis supra infraque proruperit, prætereaque febris accesserit, & hydrops succedat, magnus metus est, brevissimi enim est temporis & insuperabilibus annumerandus. Gangræna hydropicis superveniens, in pedibus frequens, sæpeque per vesicatoria nata, pessima est & mortis nuncia. *Boerh.* Præcedunt maculæ lividæ partis. Anasarca periodica mitior stataria. Hydrops qui à graviditate, edito abit partu. Qui lumbricis debetur, medelæ cedit tempestivæ, debitæ. Hæmorrhoidum fluxus in malo incipiente quandoque sublevat, ubi autem viscera jamdum sunt indurata, nunquam est salutaris. Sponte quandoque solvitur naturæ benefi-

beneficio, exitu aquarum per umbilicum, abdomen, pedes, ſcrotum, in dorſo, (*Hildan.*) per muliebria (*Fernel.*), diureſin ſpontaneam liberalem, per diarrhoeam fortem aquoſam, (*Plater.*) hæmorrhagiam largam, vomitum copioſum; in incipiente malo, ac ubi vires atque viſcerum robur; ptyalismum itidem ſpontaneum, menſtruam purgationem, arthritidem &c. Periculum ſignificatur ſi in calido corpore; ubi ex morbo acuto; poſt tumorem epatis vel lienis durum; ſi inſtant dyſpnoea, tuſſis contumax, urina potulentorum ratione notabiliter pauca, viſcera obſtructa vel ſcirrhoſa, ſitis adaucta; ſi ſuperiora gracileſcunt & facies inſimul flaveſcit; labia decolorata; adpetitus cibi, vires dejectæ; eryſipelas in cruribus; ſi male olet anima, ſputum, ſudor, totum corpus; ubi morbus ſubiatus ſæpius brevique revertit; oculorum aliarumque partium inflammatio; fluxio cruenta vel alia non levans ægrum; ſtatus febrilis; morbi comitialis acceſſiones. *Hipp.* Salutis ſpes eſt, ſi æger liberius ſpiret; non tuſſiat; extremis partibus non ſit colliquefactus; urina non ſit lixivioſa; ſi non ſitiat; ſine dolore ſit; totum corpus æqualiter caleat; lingua & à ſomno non ſit arida; alvus libertatem habeat; calor non p. n. ſit; hypochondria mollia; vires bene conſtent; ſcirrhus viscerum abſit; appetitus cibi non plane proſtratus, eoque ſumto nulla homini moleſtia; ſi à vermibus; poſt febrem; à potus in febre ingurgitatione nimia; voracitate; aſthmate; ſi à medicamento venter bene moveatur, urina-

que protinus demutetur; si plenius corpus extenuetur; ubi plus humoris excernatur quam adsumtum fuit. Si pauca ex his affuerint, parum relictum est spei, & contra, qui omnia hæc habet, ex toto tutus est, qui plura in bona spe. *Hipp.*

Hydrops scorbuticus funestum dat augurium; tumor in eodem durior ac tensior est quam reliquis speciebus. *Eugal.*

Ad extrema ventum est in hydropicis, ubi sub infirmis viribus ac ingenti dyspnoea jungitur diarrhoea; ubi mala magnaque ulcera in ore, gingivis, tibiisque subnata; ubi velut concretus sanguis dejicitur; ubi urina diversis matulæ regionibus diversos exhibet colores. Si diarrhoea quæ accessit, non levat ægrum, manet dyspnoea, illaque in dysenteriam mutatur, intra triduum moritur miser. Si in hydropico gravitas corporis ac unguium digitorumque livor accedunt, mors ante ostia; minus pernicialis est horum pedumque nigror, si abscessus habeas significationes, quo denigratæ partes decidunt. *Hipp.* Mortis periculum denuntiant testes & pudenda sursum contracta, vehementesque dolores simul incidentes. Cita mors excipit, ubi aquæ simul semelque omnes effunduntur aut manu emittuntur. Vix unicus moritur hydropicus, qui non habeat polypum vel scirrhum nobilis visceris aliamve labem ejusdem. Omnes fere hydropici circa plenilunium pejus se habere solent, eoque tempore etiam prope semper, teste experientia, moriuntur. *Rolfinc. Tych. Brah.* Ascitis imminentis certissi-

tiſſimum & inſtar omnium prognoſticon habe præſentem tumorem ſive inflammatorium ſive ſcirrhoſum alterutrius lateris; hic enim ni mature curetur, funeſtum certe neceſſarioque infert ascitem. *Piſo.* Nunciat quoque eandem anguſtia circa præcordia, reſpiratio difficilis, tumor in pedibus. Si in ascite à catarctico dato venter plus intumeſcit & velut tympaniticus evadit, morbi funeſtum expectato eventum, & contra, ſi cum ἐυφορίᾳ copioſa aquarum educitur illuvies. *Williſ.* Inveteratus artis præſidia contemnit; Recurrens vix unquam curatur. Horrores febriles cum ardore interno in asciticis ſupervenientes, funeſtum plerumque prædicunt exitum. Asciti magis peculiaris eſt ſitis, tympaniæ tuſſis arida. Asciticis frequens eſt omphalocele, cujus prædictio in morbo hæret principe ac hujus ſingulari conditione. Sudor in ascite plus nocet quam prodeſt. *Ettm.* Cuicunque ascitico facies derepente plumbea evadit, mors oſtia pulſat. *Bagl.* Hydrops peritonæi plus doloris habet, non vero ita malus corporis habitus eſt ac in ascite; curabilis adhuc eſt, ſi recens, ſi vires conſtant, ubi pedes nondum tument, ubi facies cachectica exul, ſi ſpiratio libera, cibi cupedia felix, ſi excretiones cruentæ interceptæ revertunt. Malum è contra, ſi tumiditas in dies infauſta capit augmenta, ſi fluctuatio aquarum abdomine percuſſo habetur, ſi dicta bonæ ſpei criteria abſunt, ubi excretiones naturales intercipiuntur, ſi duritiæ inſignes in abdomine tanguntur, ſi hæmorrhagia accedit, ulcera, hecticæ, lentæ junguntur;

ubi

ubi tandem agmen claudit inflammatio interna funesta. Si concusso abdomine hydropico nullus aquæ fluctuantis suboriatur sonus, adsunt vel hydrops saccatus vel hydatides vel hydrops uteri; qui morbi etiam ex inæquali dijudicantur tumiditate. Tumores hydropici in feminis plus ex uteri quam epatis & viscerum cum illo nexorum vitio sunt. Feminis sæpe intumescunt ovaria, cui vitio ascites supervenire solet. Tumores hydropici ex uteri vitio facilius abiguntur, quam illi ex hepatis culpa. *Hoffm.* Tumores hydropicorum sub vesperam augentur, vestigiumque digiti impressi referunt; hystericarum matutino tempore protuberantior est, nec digiti manet orbita; ex quibus præmonebis. *Sydenh.* In potu hydropicorum parcissimo magna salus est. *Beniv.* Si materia quæ in abdomine tumorem facit, nimis est viscida, purgantibus ac diureticis graviter lædes, ægrum. *Meibom.* Paracentesi peracta vomitus sequentes funestum præbent symptoma. Ex aquarum eductarum colore, qualitate, odore, tumoris imminutione præsagia tua porro sumes. Si citrini coloris, bona spes est; si purulenti, sanguinolenti, viridescentis, saniosi, odoris putridi, pessimum; si membranulæ simul exeunt & filamenta, hydropem cysticum denunciant. Si specillum in vulnus immissum in cavum non pertingit, utpote non impedientibus visceribus tumidis; si injectio per vulnus facta statim iterum maximam partem redit, peritonæum solummodo aquis obsessum judica; (*Ac. Sc. Reg. Parif.*) & contra in abdomen

domen effusas nosces, potissimum si dyspnoea urget, & tumor facta operatione non subsidet. Si aquis hydropicorum ex abdomine eductis dyspnoea perstat, pectoris hydropem metuas; Æque crede ex difficultate ac crebritate spiritus, quæ de subito somni primo tempore invadit & quiete defraudat, sed tamen procedente die sensim lentescit; Aut si quis hora somni, vel post aliquot horas eidem jam impensas expergiscatur, ingente correptus asthmate, cordis palpitatione, atque fenestras aperiat pro aëre attrahendo, certo habeto, illum hydrope pectoris laborare, multo magis, si pedes aut manus tumere cœperint, & præ ceteris, si accedat dolor, torpor, sive incipiens brachii paralysis, manuum exarescentia, pectoris tumor, sensus fluctuationis, orthopnoea, tussis sicca, facillimeque extremis & sine causa frigeant, pulsus sit plerumque tardus, interdum inæqualis, sæpius intermittens. *Bagl. Hist. morb. Vratisl. River. Piso.* Est morbus chronicus & sæpe per annos plures ægros misere mulctat; vitam protrahunt suspiriosi, quamdiu excretiones naturales serosæ non sufflaminantur; aliqui ex improviso quasi suffocati pereunt; nonnulli marasmo confecti exspirant; alii convulsi; alii sub vomitibus facta serosæ colluviei metastasi ad ventriculum. Hydropi pectoris viam pandit œdema pulmonum, pleuræ, mediastini, hydrocele discussa & male sanata, tussis male tractata &c. Hydrops pericardii vere, nec rarissime, observatur contra quorundam negationes. Hydrops articuli ni tempestive aperiatur,

mora

mora cariem inducit cum continuante ichoris fluxu, tabe tandem necante. *A. N. C.*

Hypochondriacum malum.

Convenit cum hyſterico malo, ſimul conſiderato eo, quod utero ejusque partibus ſpecialiſſime contingit. Status bilis bene conſideretur in hypochondriacis. Hypochondriaci ſunt ſputatores, voraces, flatulenti, imaginabundi, atque ſomniis mirum plurimum vexantur. Malum recens ac ſibi relictum plus moleſtiarum quam repentini exitii habet. Recentior affectus & qui cum paucioribus ac minus gravibus ſymptomatis majorem ſpem relinquit; inveteratus vix tollitur ſed tantum levatur & ex levi cauſa iterum gravius recrudescit; facile ſub malo regimine vel perverſa medicatione abit in viscerum obſtructiones, ſcirrhos, cachexiam, hydropem, quartanam, hecticam, catarrhum ſuffocativum, aſthma convulſivum, apoplexiam, vertiginem, arthritidem, melancholiam, maniam &c. *Hoffm.* Hypochondriaci & hectici peſſime quandoque confunduntur. Annoſos rarius infeſtat quam juniores, illosque tunc gravius ac obſtinatius tenet. Hypochondriaci vere & autumno pejus ſe habent. Rariſſime morbis graſſantibus adficiuntur, ſi vero adfliguntur, magis periclitantur. Pathemata hypochondriaca adſtricta alvo ſemper pejora ſunt. Hypochondriaci quum febriunt, vagas, erroneas potius experiri ſolent. Inveterato malo vomitus niger ſuperveniens, funeſtum eſt ſignum.

In

In inveteratis hypochondriacis non infrequens eſt paralyſis ſpuria, prudente medicatione ſuperabilis. Pulſus in hypochondriacis plane quandoque ſubſiſtere videtur ex ſpasmo, ſanguine craſſo, formidine, neſcio qua, animi infractione. demiſſione. Haut raro fiunt apoplectici, ſcabioſi, quartanarii, icterici. *Waldſch.* Non ſecundi ominis ſunt excretiones ſanguinis ex faucibus, vel larga & crebra hæmorrhagia. Hypochondriaci à brevi ſomno pejus habent. Somnus profundus communiter illis eſt, ſed evigilantes ad palpitationes cordis, flatulentias, facile relabuntur. *Carl.* Quo magis pathemata præcordia & lienem angunt, eo facilius vomitus cruentus erumpere contendit; quo magis vero circa inferiora adſunt, ibi hæmorrhoidum fluxus intenditur. Si ſymptomata magis cruciant in ſiniſtro hypochondrio & diu manent, illud notabiliter indureſcit, ægerque lurido, nigricante, tingitur colore; ſi in dextro magis, colica vexat & volaticus capitis ac faciei ardor. Malum hypochondriacum quo magis fixam in viſcere obtinet ſedem, eo minus læditur phantaſia; & contra. Hypochondriaca ſicca tuſſis frequenter recrudeſcens & detinens, merito ſuſpicionem ſcirrheſcentiæ internæ, v. g. epatis monet. Ex hypochondriacorum anxietatibus longis ſæpe hepatis ſequitur putredo atque dyſenteria colliquativa tragœdiam claudens. Quibus ad hypochondria dolor ſine inflammatione vel febre, iis febris ſuperveniens ſolvit ſedatque dolorem. *Hipp.* Contumax & diuturnum ex venereo miasmate combinato pluries ſcaturit. *Berl.*

woch.

woch. Nachr. Pleuritis notha & rhevmaticus dolor varie in hypochondriacis sese excipiunt. Cum arthriticis passionibus alternare in eosque periodice mutari solet, vel iisdem etiam solvi plane. Magnus mihi erit Apollo, ait *Brunnerus*, qui hypochondriacum, non sublato prius animi aculeo, ad sanitatem reduxerit. Solvitur accessio fletu sive lacrymis; sternutatione repetita spontanea; sudore; diarrhoea mucosa, biliosa, stercorosa; hæmorrhoidum fluxu, varicibus; urina crassa, ponderosa; flatibus catervatim explosis; sputis mucidis largis. Urina nigra declinante passione non terreat, ceteris bonis simul existentibus signis. Quod ab hæmorrhoidibus, mensibus, interceptis, iisdem revertentibus tollitur sæpissime funditus; vicissim contra aliquando nocet hæmorrhoidum fluxio. Minus sane doloribus obnoxii videntur, qui phantasiæ suæ potentes, quo volunt, eam convertunt; miseri vero sunt & corporis sui tributarii, qui ad minimos dolores statim fatiscunt, & dolendi causas imaginatione ipsi sua augent in majus. *Pechlin.*

Hystericum malum.

Vtut valde terribilis hic videtur morbus, in se tamen non adeo periculosus est. *Hoffm.* Artuum convulsiones & epilepsia facile junguntur, ergo non ita terreant. Facile recidivat ac in consuetudinem promtum est. Complicatur sæpe cum malo hypochondriaco, conjugio pessimo, eoque acerbiora per se plurimum habet

bét symptomata. Frequens comes est febrium, colicæ, calculi, scorbuti. Conjungitur sæpe cum nephriticis adflictionibus, præsertim hæmorrhoidibus externis molientibus. Abit in affectus arthriticos, quibus invalescentibus hysterica mitescunt pathemata. Migrat, si turbetur, facile in vomitum cruentum ac hecticam. Transit non raro in apoplexiam, paralysin, syncopen. Hystericis sine febre, convulsiones faciles sunt. Periculosius adfliguntur gravidæ, puerperæ, cachecticæ. In hystericis semper quære de uteri procidentia atque fluore albo. Hystericæ passioni præ aliis patent puellæ calidæ atque humidæ, viduæque præter morem consuetudine viri diu carentes, & conjugatæ, iis prius, adhuc puellæ, tentatæ. Ad abortum, podagram proclives sunt hystericæ. In hystericis sensus prius sæpe abolentur, quam motus in toto depravantur. Sternutamentum superveniens bonum. Ubi in junioribus hæc affectio accedit cum mensium legitimo statu, bonæ spei plurimum relictum est; æque ubi in plethoricis hæmorrhoides cum euphoria erumpunt & continuant. In juvenibus plerumque cessat, quando maritatæ sunt aut parere incipiunt. Simul cum mensibus aliquando silet per ætatem emanentibus, aut tunc ingravescens interficit. Finis senium quandoque est mali hysterici. Hystericis ex spasmo vomitus eveniunt & diarrhoeæ virides, quales in infantuis. *Sydenh.* Solvitur per screatum aliquando & excretionem aquæ omnino spumescentis (*Piso.*) catameniis; hæmorrhoidum fluxu salubri;

bri; fletu ſeu lacrymis; (*A. N. C.*) ſudoribus; urinis; diarrhoea; fertili conjugio &c. Ubi in acceſſione hyſterico-epileptica uterus laxatur & humoris quidpiam emittit, remiſſio inſtat; tum ſimul obmurmurant inteſtina. Hyſterica pathemata omnia fere viris cum mulie-bribus communia ſunt. *Piſo.* Pro mortuis habitæ ante d. 3. terræ non ſunt mandandæ. Epilepſia hyſterica ex vulva furiali ac fervida ſæpius exſurgit, atque verpa curatur. Suffocatio hyſterica aliquando in ipſa invaſione aut paucis poſt horis letalis eſt; cujus gravitas ſemper ex ſpiratione judicanda. Hyſtericæ in paroxysmis ſubinde mira loquuntur, ut pro obſeſſis à vulgo exclamentur.

Icterus.

Frequentiſſimi ab ira morbi aurigo & eryſipelas. Utut aliqui ingenioſe celare ſtudeant conceptum intus iræ fermentum, colore tamen in viſum effuſo facile ſe produnt. Icterus & hydrops cognationem habent notam *Pechlin.* Omnes calculoſi, hypochondriaci hyſtericæ, colici, fiunt facile icterici, & contra *Bagl.* Quibus lumborum & lateris dolor ſine cauſa manifeſta, icterici fiunt. *Hipp.* Ex ſiti magna & diutina oritur ſæpius numero icterus cum dolore laterali, quem ſi levis, diarrhoea ſolvit. Aliquando ſubito invadit aurigo aliquando tacitis quaſi ſucceſſibus. Ad iliaca alvi obſtructiones proni ſunt icterici. Quando cum magno impetu occupat ægrum, periculum

culum ſubeſt febris acutæ vel lentæ hecticæ. *Iunck.* Quoties difficilem reſpirationem, anxietatem, preſſionem circa præcordia, phlogoſes, oppletionem pectoris quaſi aſthmaticam diu & pertinacius fovet, tum ſive hectica ſive aſcites, cum vel ſine tumore pedum, ſuccedit, & emaciatio atrophica ſequitur. Fit ſæpe citra epatis vitium à nimia ſanguinis reſolutione & hepatis obſtructiones non ſemper creant icterum. *Ettm.* Alvus bilioſa ſignificat non ab itineribus ad folliculum obſtructis, ſed bile intus cumulata auriginem eſſe. *Lomm.* Arquatus ex bilis abundantia non adeo periculoſus, ut ille ex obſtructione jecinoris vel corruptione. Icterici ex bilis copia non admodum flatulenti ſunt; contra, ubi ab obſtructione vel ſpasmo. *Hipp. Heurn.* Regius morbus in ſenibus pinguibus raro aut nunquam curatur. Immedicabilis eſt ex calculo felleo grandiori, (ex quo tandem aſcites) ſcirrho epatis, carne vel verruca meatuum. Dantur icterici chronici per plures annos colore nigro tincti, & tamen valetudine fruuntur tolerabili. *Iunck.* Poſt purpuram imperfecta criſi ſolutam notat *Werlh.* Popularem recenſet *Pechl.* In conſuetudinem abiens icterus ſæpius redire ſolet, & quidem quandoque certis diebus, tumque maxime calculus latet felleus. *Carl.* Sæpe recrudeſcens notat enim calculos felleos & relinquit cachexiam, lentas, hecticas, aſcitem &c. In morbo regio affectis nec admodum ſentientibus, quibus ſingultus adeſt, iis alvus effunditur, forte vero etiam ſupprimitur, atque hi cum virore palleſcunt,

scunt. In dyspnoeicis icterica detentis & febre acuta cum hypochondriis duris ac tumidis, si perfrictio superveniat, parotides forte expectato grandes. Ex ictero fatuitas aut stupiditas, malo est; hos ἀφωνία arripit ac absque sensuum læsione præfocantur & alvus nonnunquam affatim prorumpit. *Hipp.* Icterus à veneno externo majus minatur periculum. Benignissimus est, qui ex ventriculo propullulat. Qui gravidis ultimis accidit mensibus, emisso per venam cruore vel partu tandem tollitur. A podagra veniens retrograda, hac revertente abit. Hæmorrhoides fluentes ictericis salutares. *Hipp. Lomm.* Sputum cruentum quandoque sine omni jungitur damno. *Camer.* Malum, prostratum adpetitum esse; ægrum vigiliis molestari; delirare; sermonem cum labore formare; ventrem tumere nec medicinæ auscultare inflationem; salivam ferri flavam; eundem cum duris hypochondriis febrim sequi. Letale, si venter valde tumeat; si hæmorrhagia jungatur, maxime in nigro; si accedat aurigo phrenitidis incremento, & hanc sequatur lethargus. Satis est periculosus, si inflammationibus ventriculi, epatis, duodeni &c. jungitur; si à spirituosorum abusu provenit. Tutior est, si sine febre, inflammatione, calculo, epatis duritie. Sudores coacti ictericos non juvant. Bonæ notæ sunt sudores illi largiores, qui flavedine sua indusia tingunt. Color flavus si repente in album iterum transit, pessimum. *Iunck.* Solvit febres si cum coctione post d. 7. supervenerit, ac ubi hypochondria mollia, & contra, si ante d. 7, malum. Ictericis factis d. 6. in febribus, sanguinis

guinis eruptio prodesse potest. Qui intervenit febribus corruptis & arte in ordinem redactis, boni est ominis. Qui sub intermittentium paroxysmi initium, illo finito etiam cessat; & ni labes visceris lateat, cum illa curatu facilis est. Morbus arquatus solvitur quandoque erysipelate vesiculari, pustulis flavis purpuræ, variolorum instar magnis, prurientibus multum; scabie; furunculis in corpore pluribus; finitur transpiratione liberali; urinis; diarrhoea; hæmorrhagia larga; hæmorrhoidibus &c.

Mala est alba & clara urina, minatur utplurimum hydropem, maxime in nigro atque longo. Urina crassa, turbida & nigerrima est signum solutionis morbi, ceteris bonis sub signis. Ex urina potissimum conspicitur, quid efficiant medicamenta. *Boerh.* Si ab intensa flavedine, ceteris cum bonis signis remittat, bonum. Spiritus salis si instilletur urinæ icterici, sedimentum viride præcipitari solet. Mutatur icterus frequentissime in tympanitidem. Inveteratus transit in cachexiam, hecticam, φθίσιν, hydropem; in hunc facile, si urinæ diu fuerint aquosæ. In auriginosis si cancer hepatis subest, dysenteria diu noctuque vexante laborare incipiunt fœtidissima. *Boerh.* Niger icterus fere est incurabilis, maxime post quartanam; ante pubertatem tamen si eveniat, interdum curatur. Maxime in senibus occurrit, inque his eo difficilior est. Desinit in marasmum, hæmorrhagias molestas, cachexiam, hydropem varium, erysipelas malignum, sphacelum. Tremor & debilitas in sermone cum vigiliis & tri-

stitia sunt signa letalia. Si color viridescit & abs viriditate ad citrinum sensim mutatur, optimum hoc est signum speratæ convalescentiæ. Ictero nigro detenti intereunt hectici, raro autem œdema pedum jungitur, nisi mox ab initio cum ictero complicatum fuerit idem. Icterum corporis exquisite dimidii meminit *A. N. C.*

Iliaca Passio.

Pueri facilius quam senes emergunt. Est morbus acutissimus, & ni intra 7. d. resolvitur, occidit. Nullus ileus periculo vacat, sed semper ancipitis est eventus. Quibus ab inflammatione morbus natus, intra quatriduum necat, ni juvetur. Nec rarum aut inauditum est intestinorum crepaturum in hoc morbo factam esse. *A. N. C. Hoffm. Heer obs.* Ex dolorum vehementia atroci, strictura acerbiore metue intestinorum convolutionem vel introgressum. Ingressum intestinalem subsistentem suspicator ubi quis post colicam graviorem vel iliacum morbum eo redigatur, ut nisi alimenta humida perferre non possit, & corpus interea non satis nutriri, quin potius lente pedetentimque consumi videatur; porro, ubi uno in abdominis loco fixam sedem retinet dolor ac perseverat sub aliis iliacæ passionis signis, & iis mitigatus quidem indentidem mussitans & recrudescens perstat; nec hernia præsente ubi insuper iliaci morbi facilis & frequens est relapsus. Ubi inferior intestini portio in superiorem intrusa est, omnia

omnia difficiliora, pejora. *Schoder de intest. mut. ingress. Diss. Altdorf.* Superest salutis spes si iliaca passio ab hernia, nempe in principio, non in progressu; si clysmata recipiuntur & redduntur; si dolores locum mutant; si dolor ac vomitus non perpetuus est, sed per intervalla urgent; si malum à fecibus induratis; si laxans, hydrargyrum, operatur ore sumtum; si inflammatio abest; si mutuus intestinorum ingressus simplex, ac superior inferiorem intravit; si à flatibus. Calamitatis notæ sunto: alvus subito lubrica facta manente febre, vigiliis, lassitudine; vomitus fœtidi, stercorei, assidui; spasmi; convulsiones; singultus; inflammatio præsens; accedens acuta febris; delirium; surditas; gangræna; tumor ventris sub copioso flatuum exitu; constrictio sphincteris ani arcta; urinæ suppressio, stranguria; dyspnoea &c. Si volvulo amoto febris ægrum corripiat, desperatus est affectus. Quibus à stranguria volvulus supervenerit, intra 7. d. moriuntur, ni febre exorta, copiosa urina fluxerit. *Hipp.* Qui ab ulceribus, tumoribus duris, scirrhis intestinorum vix quidem curabilis. Sphacelum indicant repentina & omnimoda dolorum absque causa cessatio, virium summa prostratio cum pulsu debili, gelidus, fœtidus sudor, animi deliquium, extremorum frigus, fœtor oris, singultus, delirium. Non simpliciter letale signum est vomitus stercoreus; loquuntur exempla. *Ballon.* In ileo omnis quandoque desit vomitus. *A. N. C.*

Impotentia virilis. Sterilitas.

Excruciatos longa gonorrhoea, emarcidos venere præmatura, ulceribus circa pudenda, recti, fœdis inquinatos judica impotentes. Pro insanabilibus habentur, quibus testiculi deficiunt; destructi corruptive queis sunt iidem; quibus mentula non in glande perforata; quorum uterque testiculus sarcocele detinetur; ubi vitium ex hæreditate. Quæ ex semine aquoso impotentia inemendabili, incurabilis quoque erit; quæ ex minus spirituoso in hypochondriacis, scorbuticis, adhuc medicabilis est. Anceps spes manet, si veretilum paralytodes tenet, ubi solitarium id vitium vel ex fœda lue. Observavimus impotentiam virilem plurium annorum ex moliminibus hæmorrhoidum vesicæ antehac suppressarum, revertente hoc fluxu, cum laude depulsam. Qui penem habent bifurcatum coëundi magis quam generandi impotentes sunt. Inexplicatum hactenus, intrinsecum quoddam tædium ac fastidium viri erga feminam sterilitatem aliquando gignere tori, licet vegete, ex prolis cupedine, eandem ineat. Perinæi sudor largior & diutinus sæpe vim genitalem simul labascere facit, vel id indicit. *Pechl.* Feminæ præter naturam crassæ, nimis fervidæ itidem, pluries steriles sunt. *Hipp.* Si mulieri non gravidæ septimana 20. aut 40. graviditatis putatitiæ, dolores instar parturientium gremium versus pressorii accidant, certum subsecuturæ sterilitatis erit signum. Fetuum adul-

adultiorum abortus præſagit ſucceſſuram ſteri-litatem. Steriles feminæ ſunt libidinoſiores & magis quoque valetudinariæ, hyſtericæ, clavis potiſſimum capitis infeſtatæ. Fœcunda mulier ſanior eſt ſterili, ſed citius eſt anus, dum hæc diutius juventæ decorum obtinet. *Lomm.* Qui uterum ſcirrhoſum reddere norit, ſterilitatem inducere didiciſſet; ſcirrhus enim in utero ſterilitatem infert, isque ſi attingi non poteſt; incurabilis eſt; quodſi mulier prægnans ſit, partum impedit. *Hild.* Si ſterilitas ex membrana pudendo oppoſita, ut concubitum idcirco admittere nequeat puella, manus ſupereſt auxilium, contra, ſi caro verendum replevit, maxime, protinus in utero. Sterilitas incurabilis eſt ex coalitione ductuum Fallopii; callo, ſcirrho maxime ad cervicem, claudente iter ſemini; cancro uteri; longinquo fluore albo; nimia obeſitate; ex hæreditate &c. Cercoſis, uteri procidentia in juvencis, commenta de hermaphroditis adauxere.

Infantum & Puerorum morbi.

In pueris ægrotantibus ſæpe notavi ultra ætatis ſortem creſcentis ingenii ſermonisque & officiorum inſolitam novitatem non defuturæ mortis certum fuiſſe indicium. *Pechl.* Infantum morbi, ſi non omnes, plurimi tamen ex ventre infimo, tanquam equo Trojano prodeunt. Quibus, cum pueri ſaliva & mucus bene fluunt commodius ſuccreſcente ætate vivunt. Saliva nutricum ac muliercularum v. g.

ſub maſticatione ac deguſtatione pulmentorum, panis ſaccharati, graviſſimi nonnunquam communicantur morbi, ſcorbutus, lues venerea. Urina infantum ſanitate recta gaudentium eſt craſſiſſima, adeo ut fere nulla inde exſurgat indicatio. H*arris.* Morbi infantum brevioris ſunt periodi quam adultiorum; ſic & apud infantes primo ſeptennario abſolvitur, quod apud adultos ſecundo, immo tardius. *Carl.* Infantes obeſi & pituitoſi, verticis regionem mollem & apertam diutius retinentes rhachitidi, tuſſi convulſivæ, ἀφθαις difficulter cedentibus, ac tandem ſcrofulis maxume ſunt expoſiti; macilenti & ſtrigoſi in febres inflammatorias ſunt proni utplurimum. *Harris.* Nutrix infantem ſuum nimis alendo ſæpe interficit. *Kerkring ſpic. anat.* Infantes prognati matribus fluore albo, virulento præprimis, detentis ad magnos multosque proni ſunt morbos, cæcitatem, convulſiones v. g. &c. Multa morbis infantilibus datur occaſio calore hypocauſti immodico, æſtuoſo. In infantulis de meconio cogitandum, dein de lactis vitiis, poſthæc de dentitione, porro de morbillis, variolis, vermibus. *W.* W*edel.* Atrophiam nuncia, ſi deprehendas in lactente inquietudines, anxietates præcordiales excipiente ſeceſſu liquidi copioſi, viscidi, roscidi, ſubviridis, ex parte coagulati, ſtipata quidem abdominis tumore, duritia, febricula, paulatina membrorum abſumtione, flacceſcentia. Quæ 4. menſe vel ſerius ingruit in lactentibus facilius curatur quam ablactatis; glandulis autem meſenterii jam ſcirrhoſis, omnis ſpes curæ de-

decollat. Macies ac ατροφια infantulorum sæpius rationem habet in pultis spissæ nimis liberali exhibitione, infarciendo quasi eadem tenellos. Ατροφια ablactatorum tam parva sumit initia & sensim accrescens vix attenditur. Difficilis est ἀτροφια curationis si à materie ulcerosa, ex anthematica ad interiora lapsa, eaque vitiante; si à malis medicamentis, v. g. saturninis, largissimis absorbentibus; ubi venerea vel scorbutica. Sæpenumero morbillorum ac variolorum soboles est. Spes vana est, si cum scirrho, ulcere visceris jamjam; si urina meitur flammea cum phlogosibus post cibum, index quippe hecticæ; ubi ab hydrocephalo; à nervo læso, præciso; si juncta diarrhoea fœtida, cruento-purulenta cum insigni emaciatione & imbecillitate virium. Spes convalescentiæ in ea adfulget, si à vermibus; voracitate; si tantum ab obstructione tunicæ intestinorum villosæ; ubi à diæta crassa; transpiratione prohibita; diarrhoea; ubi ciborum concoctio emendatur; appetitus constans & regularis redit; tumor abdominis decrescit; vires antea depressæ cum animi vigore recolliguntur. *Hoffm.* Si malum nondum inveteratum nec infarctus viscerum notabilis febres intermittentes aliquando solvunt. Ατροφια diutius persistenti non raro succedit rhachitis, quæ illam quidem solvit, sed tristi spectaculo sæpe per omnem ætatem corpus deturpat. *Carl.* Aphthas prædic ex inquietudine; vigiliis; spirandi & deglutiendi laboribus; æstu pectoris reciprocante, notabili; suctu impedito; saliva spissa; levi linguæ intumescentia;

oris

oris calore mammis ſenſibili. Vix apparent ſine febre. Aliquando epidemicæ ſunt, valde periculoſæ, Semper in aphthoſis inter alia de diarrhoea male ſuppreſſa quærendum eſt. Infantes uberibus non nutriti quoque tamen aphthis laborant. Utplurimum 9. d. durant. Frequentiores ſunt æſtate quam hieme. Crebrius infantes infeſtant quorum matres ſub graviditate venæſectionem & laxantia neglexere. In ἀτρήτοις nullo ani veſtigio apparente, vel ſi pone ſphincterem caro ſolida concreta cavum recti replet, conclamata res eſt, & fatis cedunt. Interdum ſtercus in puellis per vulvam, in pueris per veſicam habet vel invenit viam. *A. N. C. à Bergen.* Aures ulceratæ & manantes quandoque poſt ſe relinquunt tabem vel cariem. Sæpius achores & favos critice præcavent. Humiditates puero per aures effluentes ſalutares magis ſunt, & importune ſuppreſſæ, epilepſiam, auditus vitia, aut alium cerebri gravem morbum gignunt. *Hipp. River.* Si infantes δυσήκοοι ſunt, attende an membrana meatui auditorio obducta nondum exaruerit, vel an idem imperforatus ſit, vel à nativitate vel ulceratione? *Schulz.* Aſthmate convulſivo vel convulſi vel ſoporoſi necantur. Pejus, ſi febris magna juncta; mortis tunc prodromus ſudor frigidus per totum corpus, 1. 2. dies durans; contra, ſudor calidus cum levamine ſolutionem indicit; Gravius, ſi cum anaſarca & urinis pravis. Aliquot dies adfligens mox emaciat infantes. Si tuſſis humida accedat cum ſputis, bonum. Alvus obſtructa & ſegnis ſucceſſio-

cessiones habet colicæ convulsivæ, motuum convulsivorum, iliacæ, atrophiæ &c. Infans ad minimum ter vel quater in die, sive intra 24. horas exoneret alvum; si unica saltim vice fiat, indicat inclinationem ad morbum. Infantes voraces plurimum sunt alvi adstrictæ. Mirandam alvi constipationem in infante ex plumis, lapillis, filis, straminibus ab ipso deglutitis, ubi à matre incuriosa inter talia ponebatur, narrat *Hildanus*, nisi negligentia fuisset, curatam.

*A*chores retrogradi vel repulsi maxime ad pectus ruunt vel oculos vel aures. Solvuntur aliquando diarrhoea serosa, longa, acri. Infantes arthriticis prognati parentibus achoribus præ aliis adfliguntur, auribusque manantibus. Favus est morbus contagiosus. Tinea confirmata est rebellis, inprimis si ad frontem ac faciem se extendit, plerumque capillorum defluvium post se ducit. Neglecta & perverse tractata in lepram abire potest. Diuturnam cum cute arida, testacea, ad frictum non rubente, alopecia sequitur inemendabilis, & contra, ubi malum recens, cutis mollior, digiti impressi vestigium notat ac post frictionem rubet. Tinea mitior, achores & crusta lactea sæpius ad sequentem prosperam faciunt valetudinem. Sola interdum ætatis mutatione domatur, medicina irrita. Post tineam excrescentia quandoque enascitur cranii fungosa. Tineam arte vel sponte siccatam aliquando excipit surditas. In morbis infantum cutaneis rebellibus, chronicis de pollutione inquire verminosa. Infantes, quibus crustæ scabiosæ in capite superveniunt,

raro

raro corripiuntur motibus epilepticis. *Bagl.* Exanthemata ſcabioſa capitis eveniunt poſt variolos, morbillos, febres acutas, quartanam contumacem, imperfecta criſi ſoluta. Si cruſtæ ſcabioſæ in capite recedunt vel nigricantem induunt colorem, res eſt periculoſa; Inducunt aſthma, maxime convulſivum, convulſiones, tuſſim ferinam, catarrhum ſuffocativum, epilepſiam, οφθαλμιαν, επιφοραν contumacem, glandularum colli & maxillarum tumores, ψωροφθαλμιαν, guttam ſerenam, aurium vitia, pectoris & meſenterii morbos, varias febres, tabem, motus ſpasmodicos vagos. *Hoffm.* Solent multoties degenerare in ſcabiem malignam. Anaſarca in infantibus ευσπλαγχνοις facile curatur; fiunt plus ſæpe hydropici propter αδδηφαγιαν vel vermes.

Cardiogmus ſive pleuritis flatulenta aut rheumatica, diuturnior ſuſpicionem injicit intumeſcentiæ ac ſcirrhoſitatis meſenterii glandularum, quandoque epatis, ex quibus œdematoſus & cachecticus ſtatus tandem enaſcitur. Si tuſſis ſicca febriſque ſuccedit, invicto adhuc malo, ad lentam it tabem. Cephalalgia idiopathica protracta convulſiones quin meningum inflammationem pluries accerſit. Cœliaca ex ſcirrhoſitate glandularum meſenterii, pancreatis, inteſtinalium, vix curatur, quin abdominis ſequitur tenſio atque ατροφια; ſi cachexia, anaſarca ſupervenit, peſſimum. Lienteria atrophiæ metum incutit, ſi diutina. Cholera infantum non infrequens eſt, dicunt vulgo *Darm-Gicht. Hoffm.* Ex comedonibus maciem

ciem accipiunt; Qui ſunt materies ſebaceæ in glandulis ſebaceis cutaneis contentæ, tantæ incraſſationis, ut per poros cutis ſub figura albi cylindri cum apice nigro promineant. Tale excrementum viscoſum, lentum, in poris cutis tempore geſtationis in utero, & quidem à prohibita transſpiratione, congeritur, & poſtea in aëre libero condenſatur, omnibus neonatis infantibus familiare; ſtagnatione ſua anſam præbens, ut infans omni prope nutritione defraudetur. Ex hac materie in putredinem abeunte vermiculi generari queunt. Si in continua febre puero venter nil reddit, mutaturque ei color nec ſomnus accedit, ploratque is aſſidue, metuenda eſt convulſio. *Celſ.* Stridor dentium ad convulſionem proclivitatem; bilis, acidi, vermium præſentiam, ſignificat, maxume horum in ventriculo. Convulſio vel ſpasmus inferioris maxillæ à cauſa interna, utplurimum intra dies 14. lethiferus eſt; Spasmus hic quandoque tranſit in paralyſin. *Heiſter. Werlh.* Concuſſiones pectoris clangoſæ in convulſis ac epilepticis evenientes, ſunt convulſivi œſophagi motus, ſpemque eripiunt reconvaleſcentiæ. *Hoffm.* Convulſionum prodromi pavores quoque pluries ſunt in ſomno, ſuſpectum ſemper ſymptoma, pejus adhuc ubi in vigilantibus. Motus convulſivos in infantibus generaliter nunciant pandiculatio, oscitatio, brachiorum tenſiones, palpebrarum ac bulbi ocularis motus, ſub ſomno pavores, tremores, vigiliæ nimiæ, alvi excrementa viridia &c. Utile eſt obſervare, num ſemper eo tempore, quo infans corripi-

ripitur epilepſia, matri fluant menſes, necne? *Bagl.* Infantes menſtruis fluentibus concepti, facile fiunt epileptici. *Hipp.* Prægnanti ſi acceſſerit epilepſia, ſolvitur partu enixo, ac ſi fetus editus mox multa vomit ejicitque aquoſa, non manet ipſi morbus. *Hipp.* Fecum alvi dejectio in infantibus, quos prima vice torquet epilepſia, non eſt adeo ſiniſtri ominis. Infantes epileptici intra 6. hebdomades adhuc conſtituti, raro evadunt. In convulſis neonatis viſita, an cranii oſſa ſint intropreſſa? *Boerh.* Pueri facile incidunt in convulſiones epilepticas, ſi matres ſunt hyſtericæ, vel gravidæ ira excanduere; vel ſi nutrices ira aut terrore percitæ, ſtatim infantulos uberibus admovent. *Guido Patinus* contendit infantes ſub novilunio natos præ aliis pronos eſſe in epilepſiam. Convulſionem à vermibus nunciant certa convulſionis in maxillis ſpecies, intercurrentes in inteſtinis roſiones præter reliqua communia. Ex vermibus convulſi communiter nullam ante os protrudunt ſpumam. *Aurel.* Epilepſia infantum inteſtinalis in propinquo intelligitur ex flatibus cum murmure, ſub fluida alvo deſitura. *Pechl.* Diarrhoea mucida ſolvit aliquoties convulſiones infantum. Poſt motus convulſivos ac epilepticos in infantibus noduli cutanei inſtar piſorum obſervantur ſæpius; æque, habitus cutanei totius vel ex parte inflatio; anceps utrumque. Pueri fere omnes qui alvum habent adſtrictam, obnoxii ſunt convulſionibus. Si epilepticus paroxysmus unus alterum conſequitur, & alvus antea fortiter clauſa, ſponte jam dimittit excre-

excrementa, valde fœtida & nigra, vox clangosa & ſingultuoſa fit, totumque corpus ardet, in propinquo exitium eſt. Epilepſia infantum curata levi de cauſa recrudescit. Mortem prædicito in pueris, ſi convulſionibus gravibus durus intentusque venter ſuperveniat. Cavendo à pulmentis ac cibis, uberibus nutrito infante ad biennium, /dentitio fit facilior, & immunitas à vermibus impetratur. Ante & poſt dentitionem frequens eſt purpura quædam ſcorbutica, ἀπυρετος, à calidiore regimine fere veniens, quæque intra d. 14. ſponte vaneſcere ſuevit. Dentitione difficili decima pars infantum moritur. *Sydenh.* Conſectaria difficultatis dentiendi ſunt: gingivarum tumor inflammatorius, gangræna; aſthma; tuſſis; vomitus; ſingultus; clamores; vigiliæ; febres intermittentes, acutæ; pavores; alvi fluor viridis, cruentus; venter occluſus; inquietatio; ſalivatio; convulſio; epilepſia; ileus &c. Convulſionem in dentitione difficili præſagiunt conſtitutio plethorica, ſucciplena; alvus obſtipata; ſaliva non fluens; ſi ſomno immodico veluti marcent; hæque convulſiones magis dubii ſunt eventus, ſi à parentibus fuerint bilioſis ac ſenſibilioribus. Ex dentitione difficili & torminibus ventris, tuſſi porro convulſiva ſæpius accidit intus ſusceptio inteſtinorum, hinc ileus. *Williſ. Schulz.* Difficilius dentiunt, qui alvo adſtricta laborant, quam qui laxam habent. Qui cum dentitione bene habito corpore permanent, gravi ſomno premuntur, periculum eſt, ne eos convulſio prehendat. Si gingivæ ita craſſæ;

firmæ, ut dentes iſtas perforare non valeant, non raro moriuntur convulſionibus; quem caſum plus ſæpe turundarum iſtarum, quas *Schlutzer* nuncupant, creber uſus inducit. *Lentil.* In infantibus ſi tuſſicula ſuperveniat, tardius difficiliusque abſolvitur negotium dentitionis, præſertim ſi caninos edunt. *Hipp.* Cum ευφοgιæ jungitur in dentientibus ſanguine plenis ſalivæ fluxus; alvus lubrica, immixtis cruentis ſtriis. Infantes atrophici & paralytici ad diarrhoeas faciles ſunt. In diarrhoeis lactantium quære de nutricis iraſcentia. Dyſenteriam lactentes commodius ferunt quam adulti. Pueri & infantes ex voracitate, chylo crudo, acidi primarum viarum exſuperantia, ad calculum, ischuriam proni ſunt. In mictu cruento de veſtibus inveſtiga thoracibusque nimis arctis. Febres intermittentes, cotidianam, tertianam, quartanam citra adfectam matrem, vidimus in lactentibus. Intermittentes per annum ſæqe infantes detinent, nec cum detrimento, ut potius corpus confirment, modo congrua adhibeatur medicatio. Si in febribus infantum diuturnis abdominis regio, circa lineam præcipue albam, indurari atque tumefieri occipiat, morbum hunc brevi abiturum, dixeris. Facile incidunt poſt intermittentes in lienis vel alius visceris obſtructionem, dicunt *Fieber Kuchen.* In infantibus 10. annis adhuc minoribus ſi poſt febres exanthematicas haut bene decurrentes, per aliquot dies urina vel vere nigra vel plumbei coloris mittatur, aut hydrops aut epilepſia ſuccedit, vel utrumque. Si febri-

bus

bus exanthematicis vermes se immiscent, decursus earum valde plerumque turbatur; extrema frigent, pulsus fit inæqualis ac debilis, accedit animi deliquium, mors sæpe ipsa. Convulsio in febribus puerorum non ita letalis est, ut in adultorum. Coma non turbulentum, sed placidum, licet diu ebriorum instar duravit, non est malum, sed sedat & arcet in pueris febrim. *Duret. Stahl.* Gibberosi præ ceteris fiunt ex imbecillis parentibus nati, teneri, graciles. molliter educati curatique. Gibbosi post pauciorum vel plurium annorum decursum asthmati, phthisi, cordis palpitationi, hydropi pectoris, tussi violentæ, catarrhis suffocativis &c. obnoxii sunt. Strictiora arctioraque infantulorum involucra gibbositatis pluries culpa sunt. Facta μεταςασει materiæ ex asthmate, tussi, pulmonum tuberculis, gibbosi fiunt pueri. Memorabilis est casus gibberosæ puellæ post superatam febrim & plures purulentas dejectiones, ad 10. d. perdurantes, integritati restitutæ. *Ac. Reg. Sc. Paris.* Relinquuntur gibbi ex aliis gravioribus morbis, phrenitide, angina, dysenteria &c. *W. Wedel.* Infantes qui sub dentitione cruorem alvo mittunt, annis crescentibus ad hæmorrhoides disponuntur. Pueri ex hæreditate ad hæmorrhoides faciles de ventris torminibus in pueritia pluries querentur. Hæmorrhagia frequens est verminosis. In pueris & alvi & renum cruentas fluxiones minus adhuc habere periculi ac impune ferri, trepidantibus ad cruoris præsentiam matribus, notat *Pechlinus.* Laborioso exclusi partu infan-

tes aliquando salutariter sanguinem vomunt vel alvo excludunt vel per genitalia reddunt, mox parcius, nunc copiosius, visceribus, potissimum hepate, compressis; aliquando fatali cum eventu. *A.N.C. Comm. lit. Nor.* Hydrocephalum malitiosa quandoque arte exitant mendiculi scelesti pueris. *Hild.* Hydrocephalus externus curari potest, internus sæpe deleterium habet exitum & apoplexia aliquando necat, vel epilepsiam infert. Icterodes infantum d. 3. 4. à partu, est à meconio retento; in magis adultis ab ἀδδηφαγία vel vermibus; Si pertinax, hectici tandem vel cachectici evadunt, lenteque exhausti exspirant. Incubus habitualis in epilepsiam, carum, apoplexiam degenerare potest vel catarrhum suffocativum; frequens est voracibus. Lacte ex nimis pingui matris vel nutricis ominare oppletiones pectoris, asthmata, catarrhos suffocativos; ex acri & bilioso tormina, diarrhoeam biliosam, choleroden; ex impuro, scorbutico, venereo, scabiem simplicem, scorbuticam, veneream, ulcerationes varias. *Boerh.* Ex lactis defectu impie celato vidimus convulsiones graves in tenello, non letales, ubi tempestive, re detecta, ubera præbebantur lacte turgida nutricis conductæ. Ex salacium nutricum lacte aliquoties febrilia symptomata, immo purpuræ attenti exanthema. Lacte solo enutritos nunquam notavi verminosos. Linguæ frenulo resciſſo facile sanguis in ventriculum defertur, qui in eo putrescens gravissima parit mala, febres accensas, convulsiones; ergo cautus esto chirurgus. *Zech. consult.* Linguæ frenu-

frenulum incaute incisum artuum contracturas creasse miras, manente ἀφωνια &c. tradit *Hildanus.* Linguæ tumor à nativitate, si à decubitu pituitoso paulatim minuitur & medicinæ cedit; si vero à carnositate nimia, incorrigibilis erit. Tumiditas serosa in variolis, aphtis itidem accedens, curabilis est, si princeps morbus nempe quoque est superabilis; sanguinea in variolorum principio, hæmorrhagia tollitur; pituitosa extra febrim, quoque emendari potest. Narium obstructio quandoque maciem inducit ob suctionem ac deglutitionem præpeditam. *Zwing.* In ophthalmiis infantum quære de achoribus, glandulis colli tumefactis. Prognosis ophthalmiæ infantilis dubia, incerta est; relinquit facile epiphoram, pannum, abscessum, ulcus, scirrhosum tuberculum, fungum in oculi bulbo, quin cæcitatem adducit; (eo magis hæc cuncta si à variolis,) pendet à statu hæreditatis, regiminis, victus, humorum; facile revertit οφθαλμια infantum. Oculorum pustulæ sive vesiculæ si negligantur, facile inducunt vel ulcusculum manans vel oculi humorum perturbationem, quin cæcitatem. Pannus acrioribus tractatus fungum, cancrosum pluries factum, facilius in infantibus creat quam adultis. Mydriasis in pueris quandoque curatu facilior est quam in adultis. Ob animum immorigerum ex ægilope & anchylope non raro fistula subnascitur lacrymalis. Nyctalopia & encanthis rara in infantibus. Epiphora difficulter curatur sæpeque lippi manent, & qui impuri habitus (quod plus sæpe ex lacte siphylitico fit) cum aliquali

 hebe-

hebetudine. Madarosis plerumque insanabilis est. Ατροφία oculi non semper totalis seu plenaria est, sed sæpe ex parte tantum fit. Strabismus ex convulsione non crebra; vel sponte cedit vel arti. *Zwing.* Peregrinum cæcitatis genus in duobus pridem natis à me visum, ait *Pechlinus*; nimirum utrumque oculum spissa quædam tunica ex muco, sive in matris alvo, seu primo aëris adflatu concepto velabat, visumque omnem prohibebat. Reliqua vid. pagell. de oculorum morbis. In pedarthrocace, rhachitidis, luis venereæ, variolorum pluries sobole, si recens & mox debita fiat medicatio, sæpe tumor discutitur; si vero jam suppuratio adest, difficulter admodum, nec antisiphyliticis atque antiscorbuticis cedit. Paralysi si infantes corripiuntur, circa pubertatis annos quandoque ab eadem vindicantur. Paronychia facile officulo cariem infert in infantibus. Parotides infantum difficile suppurant, facilius tamen ac in adultis; neglectæ in salsas & acres abeunt ulcerationes. Pectoris oppletio cum rhoncho in neonatis facile transit in asthma vel catarrhum suffocativum. Rhoncho detentos si curas, inquire de paroticis tumoribus vel ulceribus, an antehac adfuerint, quave methodo tractarint? Φιμωσις naturalis interdum & à nativitate pueris est, manui cedens. Priapismus infantum licet recurrat, sponte posthæc velut cessat nec metuendus; Est pluries à vesica lotio turgida rectoque stercoribus farto. Purpura scorbutica remanens creando ventris tormina, virium languorem, appetitum dejectum,

malum

malum vultus aſpectum, ſæpenumero vermes adeſſe mentitur. Poſt tormina ventris vexantia ſæpe puſtulæ generis varii, in facie, abdomine, artubus infantum exoriuntur cum ευφορίᾳ. Rubor & æſtus per univerſam cutim aliquando contingit, ex quo, ni tollatur, in ardentem labuntur febrim, vel aliam gravem ægrimoniam. *Zwing.* Scrofulæ nonnunquam ex improviſo & confeſtim cum ephemera febre comparent, eadem ceſſante iterum quoque dispatentes. Sunt potiſſimum prodromi aurium manantium vel achorum, quibus advenientibus ſolvuntur. Absque ſignificatione recedentes oculi aurisque noxas gignunt. Degenerant aliquando in ulcera depaſcentia, verminoſa. Strumoſi infantis pancreas, vel meſenterium vel inteſtinales glandulæ certe laborant vitio eodem. *Boerh.* Singultus ob lactis hauſti copiam, ob corruptionem alimenti in ventre, vel ob partis frigiditatem mitis eſt; contra, qui ab inflammatione vel ex metaſtaſi efflorescentiarum. Syncope à vermibus ſtomachi plerumque fatalis eſt; prodeunt brevi ante mortem per os. Scroti atque teſticulorum inflammatio à cauſa externa cum extravaſatione in abſceſſum & ulcus facile terminatur, maxume in cacochymicis. Teſtium tumor, bubo circa pubertatis annos ex lymphæ bonique ſucci redundantia oriens, nil habet in receſſu per ſe. Teſtium retractionem vel ſerotinum deſcenſum cave ne pro ramice habeas inguinali, examina curioſius ac certus eris; ſic novi puellam, ſubligaculo ſtrictiori ſuperdato, atrophicum factum funeſto cum eventu. Tor-

minibus plerumque adfliguntur infantes ubi clamant, maxime si concurrat abdominis inflatio. Ubi brachiis suis sursum deorsumque, ultro citroque, immodeste infantes jactitant, quæ curam habent, ventris tormina facile subnascuntur. Ex torminibus ventris eo plus periculi metuendum, quo teneriores sunt infantuli; cotidiana convulsiones plerumque prædicunt. Tormina sustinent infantes cum flatibus, materie mucida, quam tussi humida mucosa sursum propulsam iterum deglutiunt. Torminibus facile junguntur febres, paralyses, asthmata, convulsiones epilepticæ, ileus &c. *Schulz.* Hystericis prognati matribus infantuli magis & acrius patent ventris tormentis. Tumores lumbares serosi ex spina bifida plurimum, brevi sunt funesti, maxime si incidantur; crebrius sunt cum hydrocephalo atque invicem communicant. *Comm. lit. Nor. Salzm.* Tonsillarum, uvulæ, tumor ac inflammatio sæpe infantes in discrimen vitæ ponit, dum ex contumacia vel immorigero animo auxilia non admittunt, suffocantur hinc, aut gangræna, sphacelus, convulsio necant istos. Verticis tumor mollis in neonatis imprudenter incisus aut emplasticis apertus, vel convulsione brevi necat, vel tardius paulo macie. Umbilici tumor prominens vel in herniam vel inflammationem aut abscessum transmeare potest, ni præcaveatur; aliquando, sed rarissime, sanguis profluit, facile cum totius corporis imbecillitate ac morte. *Hildan.* Ex umbilici abscissione subitus è vita excessus metuendus. Tussis infantum ple-

rumque

rumque eſt ſtomachica vel inteſtinalis; docent vomitus, diarrhoea critica, juvantia, nocentia; facile migrat in aſthma ſtomachicum, quod reſpiratione ſtipatum eſt anheloſa. Tuſſis convulſiva epidemica infantum tempori potius quam medicinis cedit. Eſt indolis chronicæ. Infra trimeſtre conſtitutos excarnificans, utplurimum funeſta eſt. *Comm. lit. Nor.* Hæmorrhagia, abſceſſibus corporis ſolvitur. *Meibom.* Sub paroxysmo convulſionibus, epilepſia correpti raro eluctantur. *Lentil.* Macie plerumque necat vel ſuffocatione. Meminimus ex vehementia hujus in puella oſſa frontis hiscentia reddita. Si infantulus ſine cauſa manifeſta continuo vagiat, corpore non nutriatur, dejectiones habeat veluti carneas, urina cum farinaceo ſedimento ſit, de verme inquire umbilicali, facque experimentum tinca. &c. *Eyſel. Zwinger.* Ob continuam jactitationem hinc fiunt pluries luxatio vertebrarum, herniæ ex clamoribus, quin epilepſia. Ex vigiliis nimiis metuas ἀτροφίαν, lentas, hecticam vel convulſionem, epilepſiam. Visceribus ex umbilico propendentibus vivi nati, non diu ſupervivunt. *A. N. C. Comm. lit. Nor.* Volaticæ infantum maculæ quando fauces, os, oculos, aures, ſcrotum, occupant, fatales eſſe ſolent. *Sennert.* Vomitus à copia lactis aſſumti non eſt periculoſus, ſi vero ex lacte corrupto anſam dat convulſioni, epilepſiæ, conſumtioni corporis. Si infans multum vomat & de nutricis cogita iracundiis. Morbi infantum quos effascinationibus imperitum mulierculatum vulgus haut raro adſcri-

 bit,

bit, sæpissime strigmentis caseôsis in ventriculo ac intestinis hærentibus originem debent. Loquuntur signa & remedia in testimonium sententiæ.

Inflammatio interna. Abscessus. Gangræna. Sphacelus.

De scirrho & cancro interno, de vomica porro, sigillatim suo videsis loco.

Optume testatur lingua de inflammationibus internis; ejusdem ariditas cum flavedine latentes viscerum inflammationes præter alia signa nunciat. *Bagl.* Corpora laxa, hinc feminæ & pueri, facilius ferunt inflammationes quam stricta, ut viri & senes. Periculosior semper est in scorbuticis, venereis, atrabilariis, annosis, laboribus fractis. Quo citius inflammatio suas periodos absolvit, eo periculosior, & eo certius gangræna incidit. *Boerh.* In omni inflammatione febris modica, proportionata, necessaria est & præsidio. Si urget, gangræna æger periclitatur; si nimium remittit ac sine integritate, scirrho & ulcere; valde si tenuata, non raro in lentam & hecticam degenerat. *Platn.* Si febris subito sine bonis signis conquiescit, inflammatio in alium morbum mutatur.

Crisis fit multo plerumque sudore ac urina crassa cum sedimento copioso. Pessimum, si febris semper increscit, æger summe infirmus fit, inquietus, vigil, delirus, soporosus; si accedit

cedit ſpiritus difficilis, torpor, æſtus inæqualis per corpus, ſudor frigidus, urina cruda, fulva & tenuis; alvus liquida, nigra, multum fœtens, nervorum diſtentio; Quæ ultima mortis ſunt nuncia. Inquies, jactatio, ſuſpiria, anhelatio, pervigilium, in inflammatoriis & ſuppuratoriis mortis ſunt prænuncia. *Boerh.* Inflammatio vel reſolvitur vel ſuppuratur, vel degenerat in gangrænam, ſphacelum, vel in ſcirrhum, cancrum; ex ſuppuratione male cedente in ulcus, fiſtulam. Spem vel periculum inflammationis denunciant ſubjectum, pars obſeſſa, magnitudo, indoles, cauſa. Per μετάστασιν febris enata ſi non excludatur rite, metum incutit recidivæ. Inflammatoriæ febres recidivantes ſunt periculoſæ ac plerumque letales. In inflammationibus bonum eſt, ſi æger bene ſitiat, largeque commodum hauriat potum. Inflammatoriæ ab arthritide retropulſa, periculoſæ. Quo intenſior dolor in inflammationibus, eo magis malum in tempus criticum metuendum eſt. In inflammatoriis ſudore κρισίμως judicatis pluries & ſe addit hæmorrhagia. Vomitus cruentus, porraceus, niger, excrementa diverſorum colorum alvina, maxime circa dies criticos, fatum ſunt extremæ ac deſperatæ ſalutis, inprimis in ventris inflammationibus. *Hipp.* In inflammatoriis diſcuſſio per hæmorrhagiam tempeſtivam multum anteponenda ſuppurationi, ex qua plus numero hectica. Cum inflammationibus partium abdominis, præcipue non valde exquiſiti ſenſus, fere typus tertianarius complicatur. Inflammationis in abſceſſum ini-

tia

tia faciunt horrores sine ordine invadentes; Ubi fieri incipit, febris & dolor increscit, æger porro sine ordine inhorrescit, moxque æstuat; pure facto nec imminuuntur hæc, æger vero longe infirmior fit ad animi deliquium usque cuncta ast sine exitii notis. Si febris non intermittens jam 20. d. superavit, simul pulsus bonus est viriumque robur non infirmum, vitæ pericula absunt, nulla evidens facta evacuatio, concoctiones cunctantur, licet expectare abscessum, maxume in junioribus. *Lomm.* Quibus ex morbo, potissimum febre, convalescentibus pars aliqua laborat; eo abscessus fiunt. Circa generationem puris febres & dolores magis eveniunt, quam illo perfecto. A tumoris intus ruptione fit exsolutio virium, vomitus & animi defectio. *Hipp.* Lipothymia talis aliquoties repetens, letalis est, nisi exitum pus invenerit, quod aliquando juvare potest. Abscessus in cava abdominis ruptus suum pus evomit; fit collectio ejus in abdomine sive hydrops purulentus; aggestio; ni extra corpus viam acceperit, putrefactio; ventris tumor; viscerum exesio; tabes miserrima; mors. *Boerh.* Pus quacunque parte erumpat, si est læve, non mali odoris, album & unius coloris, sine metu est, ac quo effuso febris protinus conquiescit, & contra. Pus exit è corpore per pectus, abdomen, umbilicum, aures, nares, lumbos, urinam, vomitum, sputum, diarrhoeam; sudorem male olentem, quandoque glutinosum instar puris. Pus cum urina exit integris vesica & renibus, v. g. ex pulmonibus veniens; *Holler.* & contra, inte-

integris pulmonibus, ex utero ſuppurato e. g. delatus, expectoratione effertur. *Hoffm.*

Abſceſſus musculorum abdominis ſæpenumero eveniunt ex iſchiade diutina. Abſceſſus pluries oriuntur poſt febres, potiſſimum poſt criſes mancas. Abſceſſibus anſam creberrime dat menſium hæmorrhoidumque negotium. Si morbus magno cum impetu feratur, ſuperne fieri ſolent abſceſſus ad collum, axillas &c. Si lente procedat, in partibus infernis expecta. *Hipp.* Non abſolute propter cordis abſceſſum ſequitur mors, niſi introrſum effundatur, quin minor puris copia tranſire ex corde in arterias ſine vitæ periculo poteſt, quæ à visceribus per alvum, urinam, ſputum &c. expurgatur; *Hildanus* communicatam recenſet obſervationem de corde adhuc vivente non exigua ſua parte putredinem paſſo. De corde ſuppurato meminit *A. N. C.* Abſceſſum cordis tunicatum ex vulnere olim accepto dicit *Pechlinus.* Abſceſſus εγκεφαλȣ à violentia externa ſubnatus non ſemper in læſo ſed oppoſito latere quærendus; in his penetrat quandoque materia purulenta per cranii poros ad exteriora; ceteroquin iidem felicius faciliusque ſolvuntur per nares quam aures. *Meibom.* Viscerum ſphacelatio absque prævia inflammatione plus ſæpe contingit, ex quiete ac ſtaſi ſanguinis in ramis majoribus.

Tranſitus inflammationis in gangrænam, dein ſphacelum, ſignificatur, ſi internus quidam frigoris ſenſus percipitur, & dolor antea acutus & acerbus ſubito deſinit; mens antehac delira ad ſe quodammodo redit, virium vero de-

fectus

fectus insignissimus fit; lipothymiæ incidunt; pulsus deficit, vel debilissimus, inæqualis tangitur atque intermittens; si alvus antea fortiter clausa se aperit & præter voluntatem fluit; vultus fœdus, pallidus adparet; palpitationes cordis, anxietates obveniunt; extrema, tempora, cervix gelide sudant; murmura in ventre sumto potu oriuntur. *Hoffm.*

Gangræna in internis semper est letalis, continuo enim in sphacelum mortemque tendit.

De viscerum aliorum abscessubus, gangræna, sphacelo suis in locis habes.

Linguæ ceteri morbi.

Quibus acute febrientibus omnia fœtent, aut etiam saporem fœtidum habere videntur; quæ tamen revera non sunt, & citra vitium antecedens narium & linguæ, malum est. *Hipp.* Olfactus & gustus vim tota sua vita aliquando amittunt, in occiput graviter lapsi. Linguæ inflammatio aliquando vel per se vel cum aliis morbis obvenit, in suppurationem abiens; talem notavi criticam in febre acuta maligna bibonis. Linguæ tumores, œdematosi, carnosi, scirrhosi, utplurimum vitæ periculum non adferunt, nisi in tantum accreti, ut inde suffocatio metuenda sit, aut ex humore maligno ortum duxerint, unde sæpe carcinoma, heic incurabile malum; maxume hoc quidem ex scirrhoso. Oedematosi, pituitosi remediis cedunt.

dunt. Βάτραχος five ranula fub lingua, in pueris crebrior quam in adultis, per fe periculo vacat quidem, aliquando tamen præfocationis periculum intentat ob vicinam afperam arteriam atque laryngem, deglutitionem ac loquelam impedit mirifice; dolores concitat acutiffimos. *Tulp.* In adultis, fi dolor & febris adfit, periculofa eft, facileque in anginam migrat. Quæ nigra, fusca, dura, cum tuberculis carnofis, ad cancri naturam accedit. *Heifter.* Ni cyftis, quæ humorem continet, abfumatur, tumor iterum iterumque repleta vomica refurgit; Contingit tamen etiam, ut effluente pure cocto pellicula putrescat, & totum fimul excernatur, quod morbum facit. Βάτραχος irritatus incongruis vel fcirrhum & cancrum, vel gangrænam & fphacelum poft fe traxiffe, obfervatus eft non femel. Plus fæpe fequela eft rudioris frenuli lacerationis quam lactis nimis acris aut malæ conformationis vitium. *à Bergen.* Paralyfis linguæ ex apoplexia, aliis fimul refolutis partibus, raro curationem recipit, maxume in ætate provectioribus, & contra, fi malum fimplex & folitarium fit, inprimis in ætate inflorente conftitutis. Conf. prædict. de paralyfi infra pofitæ. Balbutientes melius cantant quam loquuntur.

Li-

Lipothymia. Syncope.

Qui ſæpe & fortiter ſine cauſa manifeſta animo delinquunt, ſubito moriuntur. *Hipp.* Lipothymia facilis in ſcorbuticis eſt. *Eugal.* Idiopathica peſſima eſt. Nullus proximior ad mortem gradus eſt ſyncope. Subitaneus virium lapſus in ceterum bene valentibus evenit nonnunquam ex purpura ſcorbutica non rite egrediente vel inſcie regreſſa. Peſſima eſt cum ſeceſſu atrabilario, nigro, curabilis tamen, ni labes visceris ſubſit. Virium exſolutiones ex rigore periculoſæ, maxime ſi accedant urinæ cruentæ. Mala ſigna: ſudor frigidus copioſe manans; facies Hippocratica; ſi ad ſe reduci vix queunt multo labore; ſi licet levati, pulſus deeſt, vel perexiguum habent; ſi ſani facies non reddit; ſi faciei color mutetur in lividum & viridem. Si tremores ac convulſio ſuperveniant, ſi calor non revocetur, mors in propinquo; in hyſtericis tamen mitius judicato. Exitioſa; quæ à corruptione visceris; à ſphacelo; quæ extenuato ſpiritu & ſanguine originem trahit; quæ poſt partum laborioſum; quæ poſt abſceſſum internum ruptum, niſi pus per alvum, urinam, vomitum, quod juvare aliquando poteſt, reddatur; quæ in febribus malignis, exanthematicis, in principio & ſtatu, vel easdem antecedit, vel ex ſitu erecto in illis contingit; quæ ex vermibus ſtomachi in pueris; quæ in variolis confluentibus ob intolerabilem ardorem ac dolorem, præcipue ſub recto

ſitu inducitur; *Hoffm.* quæ ob tumorem p. n. in vel ad cor & pericardium; quæ cordis palpitationem longinquam pluries ſequitur &c. Quæ à voracitate poſt ſuperatum morbum; à ſaburra ſtomachi; à flatulentiis ſpasmodicis in hypochondriacis, hyſtericis; à flatibus putridis; ab hypocauſto, balneo intenſius calidis; à ſenſibilitate individui; ab animi pathematis &c. nil habet in receſſu ac relinquit medicationi ſpatium. Syncopticæ hyſtericæ ne pro mortuis habeantur, ſepeliantur, recte cavendum.

Mania. Melancholia.

Falſæ imaginationes ſuperveniunt eis, quibus membrum aliquod abſciſſum eſt, facile. *Hild.* Mania raro eſt letalis, curatu tamen admodum difficilis, inprimis antiqua. Prænunciat eandem cephalalgia ſubito in hypochondriacis & melancholicis, prævio graviori animi affectu oborta, cum ἀγρυπνίᾳ, inappetentia, δυσηκοίᾳ, vaſorumque interna pulſatione. Quandoque deſinit ad tempus in totum, vel ſtultitia remanente terminatur, poſtque denuo recrudeſcit. Mutatur aliquando in hæmoptoën. *Dodon.* Bonum omen, ubi delirium ſomnus adhuc ſedat, contra, ubi vigiliæ ſunt pertinaces; bona ſpes, ſi periodica circa æquinoctia; ſolſtitia; ſi habet remiſſiones; ſi ex paſſione hypochondriaca, hyſterica, febribus intermittentibus perperam exceptis, evacuationibus ſanguineis ſuppreſſis; ſi à ſumto narcotico &c. Peſſima,

ſima, ſi poſt altum ſomnum jugiter delirant; ſi validiora evacuantia intenſiusque non ſentiunt frigus. Si epilepſia, convulſio, ſopor ſuperveniunt, mortale. Mania ex abſciſſa Plica polonica eadem renaſcente curatur. Maniaci raro aliis implicantur morbis & ſæpenumero ætate grandes fiunt. Ex utero furentes ſi conceperint, ſanæ fiunt. Evacuationes fortiores in febribus ſæpe excipit mania; eadem & diuturnas intermittentes, quartanam præcipue, in ſtultitiam tandem degenerans, haut raro ſequitur. Graviditatis ultimis menſibus ſilens, enixo partu quandoque revertit. Mira eſt in maniacis ἀγρυπνία, ut ultra annum extenſam legas. *Boerh.* Melancholia ſua natura non eſt letalis, ſed ſæpe quos ſemel invaſit, ad mortem comitatur, maxume ubi hæreditas ſubeſt. Prognoſis autem in genere incerta ratione exitus eſt; quidam brevi aliquando revaleſcunt, alii longo tempore, alii nunquam curantur. Nunquam melancholico curando dicas, quod laboret melancholia. Malum hypochondriacum quo magis fixam in viscere obtinet ſedem, eo minus læditur phantaſia, & contra. Mania & melancholia aliquando inter ſe alternant. Melancholia deterior eſt feminis quam viris. Melancholici epilepſia ſæpe ſolent corripi, & v. v. Mania & melancholia non omnino carent febre ſed lenta ſtipantur, modo vaga, modo cotidianæ remittentis typum æmulante. Familiis connata vel hæreditaria peſſima eſt mania & melancholia. Si morbis complicatis delirium conjunctum, ventriculum pro parte prima-

maria affectum ostendit. Melancholicis luridis & squalidis nonnunquam in partibus musculosis femorum, brachiorum eveniunt noduli subcutanei, non oculis sed tactui obvii. *Hist.morb. Vrat.* Somnum profundissimum octiduanum notavi in melancholico, tandem duro labore expergefacto. Facilior morbus si à causa physica, quam morali, pathetica. Fletus ac risus alternans, bonæ spei indicium. *Riedlin.* Insania quæ cum risu fit, tutior est, quæ studio dato, pejor. *Hipp.* Varices scroti grandes observavi in ex amore vesano melancholico, crebro veneris exercitio inflammato perfecte dein sanato. Solvunt morbum excretiones sanguinis criticæ mature supervenientes, inprimis fusi menses, hæmorrhoides largæ; varices; vulnera capitis (*Gordon.*); atræ bilis per superiora & inferiora rejectio; diarrhoea; dysenteria; hydrops; ulcera; pustulæ; scabies fœda; abscessus; arthritis &c. Multi fatui & stulti à partu sunt, si obstetrices caput molle infantis nimis comprimunt, tales redditi. *Boerh.* Multo plures insaniunt quos ad immensas opes evexerat fortunæ favor, quam quos iniqua sors ad miseriam & pauperiem redegerat. *Mead in monit. ex ore Hallej.*

Menſium vitia.

Luna vetus vetulas purgat, nova luna puellas. Lunæ ſolvere aliquando neonatas puellulas obſervatione, & noſtra, conſtat. *Comm. lit. Nor.* Tales vero non diu ſupervivunt. Menſes prima vice erupturi, erraticam pluries ſimulant febrem. Quibus mature emicuere menſes, his communiter quoque maturius deſinunt. Puella ordinarie non concipit niſi menſtruata. *Hipp.* Mulieres menſtruantes circulum lividum ſive plumbeum ſub oculis habent. Fluxus menſtruus in annoſioribus per aliquot hebdomades immo menſes ſuppreſſus ſive retentus, largiſſima ſæpiſſime compenſatur evacuatione per dies 14. immo quandoque 21. durante, licet non absque incommodis ejusmodi perſonarum. Quæ parce menſtrnantur, parca quoque experiuntur lochia. Dantur feminæ, quæ bis in menſe lunæ beneficium habent; aliæ, quæ menſis medio uno depoſitum lunæ experiuntur, altero hæmorrhoides fluxas; iterum aliæ, quæ nunquam menſtruales niſi graviditatis tempore (*Comm. lit. Nor.*); tandem aliæ, quæ nunquam tributum menſium ſiſtentes, plures tamen pepere fetus vegetos; ſic ruſticam novi decem infantum, jam adultorum ſanorumque, felicem matrem. Perpetua menſium emanſio non ſemper ergo morboſa dicenda; utplurimum tamen ſtipata eſt ſterilitate. *Hild.* Vidi, ait *Bagl.* mulierem, cui durante menſtrua purgatione tumescebant oſſa clavicularum, eaque deſinente eva-

evanescebant. Cum menſibus laborioſis advenientem pluries obſervavi δυσηκοίαν, his autem belle profluentibus, ſolutam iterum. Si menſes in puellis primum erumpere nequeunt ob membranam verendo oppoſitam, in cultro auxilium eſt facile, & contra ſæpe nullum, ſi caro locum replevit, maxime protinus in utero, atque perniciales exoriuntur morbi. Menſtrua humidioribus feminis diutius durant, citoque hæ, ni illa ferantur, intumeſcunt. Quæ femina non peperit, gravius & citius retentione laborat, quam ea quæ peperit. Quæ femina lac habet, ſi neque peperit nuper, neque gravida eſt, ea à menſtruis defecta eſt; ex quo acerbiſſimis capitis doloribus expoſita eſt, ſi ea diu ſic manet; cui medetur hæmorrhagia. *Hipp.* Vetulæ quibus revertuntur menſtrua, non longe ſupervivunt; ſed bene intellexeris oportet, non eſſe hæmorrhoidalem fluxum uteri vel urinalis veſicæ. Remanentes, intercepti, ſuppreſſi exitum quærunt per os, nares, aures, umbilicum, mammas, genua, ilia, oculos, frontem, ulcera, fiſtulas corporis, ſudorem, (pluries hæc quidem cum εὐφορίᾳ) tubas Fallopii in abdominis cavitatem (letali hoc cum exitu). Menſes per inſolitas vias proficiſcentes communiter feminas ſteriles faciunt. Suppreſſio quæ ab uteri cicatrice poſt ulcera & vulnera incurabilis eſt. *Deck.* Menſibus ſuppreſſis ſuccedere ſolent ſyncope, præfocatio, hydrops, aſthmata, mania, melancholia, paralyſis, arthritis, cachexia, tabes, convulſio, epilepſia, ſpasmus, icterus, apoplexia &c. Quibus largior fluor

 albus,

albus, eæ ex interceptis menſibus minus male tenentur. Urinæ nigræ in menſtruis ſuppreſſis non perpetuo malæ. In menſibus ſuppreſſis & de conformatione ſcrutare partium & numne prolapſus adſit? Menſium ſuppreſſio à ſanguinis defectu, difficillima. Mulieri deficientibus menſtruis ſanguinem è naribus fluere, bono eſt. *Celſ.* Sanguis ubi retentus per veſicam urinariam iter quærit, facile inibi grumescit, graviaque excitat pathemata. Menſes per ætatemceſſantes ſalutariter excipiunt hæmorrhoides. Venereo orgasmo optime provocantur menſes emanentes. *Pechlin.* Nimii, maxime continui, inducunt ſæpe tabem; in ſenibus hydropem; cachexiam; fluorem album; ſterilitatem. In ſenescente muliere incurabile, immo letale malum. *Deck.* Si criſeos in acutis initia inciderint in periodum menſtruæ purgationis rigorque ſuperveniat cum tuſſicula, aut catameniorum affatim fundendorum index erit, aut ſi pauca ſaltim adpareant, & mox ſupprimantur, pediſſequam novam acutam ordietur. *de Berger.*

Criſis ſignificatur per menſes futura in acutis, ſi nullo alius judicationis præſente apparatu, motus gravativi, tractorii circa lumbos ac pubem, in ſummis femoribus oſſeque ſacro inſtant cum æſtu eorundem, prope decretoriam diem, maxime 7., aliquando cum exteriorum horripilatione moderata.

Me-

Mesenterii reliqui morbi.

Mesenterium multorum gravium & chronicorum morborum sedes est, hydropis, atrophiæ infantilis, febris variæ, inprimis & lentæ ac hecticæ, inflammationum, choleræ, melancholiæ, diarrhoeæ, cachexiæ &c. *Hoffm.* A plethora mesenterium gravissime læditur. Hypochondriaci & hæmorrhoidarii in mesenterii morbos, inflammationes nempe, strumas, abscessus, scirrhos &c. delabuntur facile. Obstructio mesenterii ad colicam scorbuticam disponit. *Draw.* Qui febricitant ex infarctu mesenterii, majora mala in capite experiuntur quam in mesenterio, in quo morbi sedes. Pueri, qui strumas in collo gerunt, utplurimum tales quoque in mesenterio, pancreate, intestinorum glandulis habent. *Boerh.* Mesenterii tumores facile in strumas seu scrofulas & scirrhos degenerant. Scirrhus glandularum mesenterii in adultis ac annosioribus rarius cognoscitur, antequam jam asciticos vel hecticos attraxerit adfectus. Portio intestini à mesenterio quandoque abrumpitur sine letali sanguinis profusione subsequa; docent historiæ medicæ intestinis ex abdominis ulcere mesenterio orbis propendentibus, adflicto bene servato. Mesenterii tumores numero & magnitudine insignes aliquoties sunt. Sic recordor in cadavere mulieris per rdennium pro gravidata habitæ talium tumorum variæ naturæ seu indolis cumulum junctim o. libras Noricas habentium. Abscessus me-

ſentetii ob compagem partis pinguedinoſam brevi tempore late progrediuntur. Depurgantur iidem per ſcreatum, alvum variam, urinas, ſalutariter. Pluries eveniunt ex hæmorrhoidali & menſtruo negotio. Abſceſſus meſenterii, pancreatis, inteſtinorum, omenti, cum labore diſtingues. Epatis & meſenterii abſceſſus fiſtulam umbilici paraſſe cultro deprehendi.

Mictus cruentus.

Sanguinis mictus tametſi non admodum cito enecet, tempore tamen procedente infinitos jugulat. *Aret.* A gonorrhoea ſanguinolenta facile discernitur. Sanguis è renibus profectus univerſa urina temperatus exit, minime concretus; ex veſica, contra. Sola ſanguinis mictio è renibus, eorundem calculum ſæpe patefacit, qui nec dolore neque alio ſignificabatur ullo indicio, idque prægreſſo maxume forti corporis motu. Quoties mictui cruoris ſenſibilis dolor conjunctus eſt, de calculi præſentia & concurſu juſta eſt ſuſpicio. Si à calculi violentia, tamdiu incurabilis manet, quamdiu ipſe calculus removeri nequit. Qui à vermiculis veſicæ, iisdem excluſis ſanatur. Minus periculoſus eſt, qui ex urethra; qui ab amputatione membri alicujus; qui à violentia externa vel ſtricturis ſpaſticis; ubi ſine febre ac dolore, & contra, tumque facile præmonere licet puris mictionem. Magis periculoſus eſt in ſenibus, ſpontaneus maxume, vixque diu ſuperſtites poſthæc ma-

nent,

nent; quam in junioribus; atque si in illis accedant lassitudo, alvus adstricta, anorexia, convulsiones, mortem indicunt. Periculosissimus est, si cum puris mictu; si à vulnere cum effusione sanguinis & urinæ in cavum abdominis; ubi febribus exanthematicis supervenit &c. Ureteri grumus, ubi vesicæ obliquo inseritur itinere; si incarceretur, letalem inducit ischuriam. Sanguis intra vesicam concretus (quod pluries ex violento casu fit) gravissima parit symptomata, lipothymiam, exiguam spirationem, pulsum obscurum, nauseam, angores, extremorum frigus, cruciatus & ardores vehementes in ima pube, atque circa virgam. Mictio cruenta è vesica tardius curatur quam illa à superioribus locis profecta. Mictum sanguinis plus sæpe succedit ulceratio atque tabes. Violentus sive excessivus facile tabem infert. Sæpe criticus est sanguineus mictus facta palindrome hæmorrhoidum vel menstrui fluxus ád renes vel vesicam urinariam.

De hæmorrhoidibus vesicæ urinalis, penis p. 125. diximus.

Mola Uteri.

Producit graviditatis omnia φαινομενα mola; & sæpius Medicis imponit exercitatis. Et honestissimæ virgines viduæve uteri gerunt molas. Molas vitales & *fratres Lombardorum* ad fabulares relego historias. Motus molæ ex uteri spasmo evenire solet. Molæ excretiones

comitatur plurimum larga uteri hæmorrhagia. Molæ in gravidis & multo quidem cum cruore, sine fetus noxa, nonnunquam excluduntur. Si mola abortui embryonis juncta, pejor est status. Mola cum fetu simul gestata, partum difficilem reddit ac exitum semper intempestive maturat. Mola omnis, nisi inter initia curatur, ægerrime tolli potest. Junioribus plerumque exit facilius & ultra annum vix remanet, contra in annosioribus. Plerisque omnibus 3. vel 4. mense excluditur, spemque conceptam prægnationis ludit. Non raro molæ cum muliere senescunt & commoriuntur, quocirca quandoque osseæ fuere inventæ; & non tantum morantur, quo minus iterum concipere possit conjux, sed & alia gravissimarum ægritudinum accersunt genera. Molæ testantur de utero affecto, humorumque sæpenumero per eundem turbato circulo, sonticosque & diuturnos minantur morbos. Disponunt ad fluorem album. Molas nutritionis frequenter gestant scorbuticæ ac hypochondriacæ feminæ. Imprudens vehementiorum adstringentium usus pro abortu averruncandoad molarum gestationem perpetuam sæpius feminas damnat. *Hist. morb. Vrat.* Molæ vesiculares sanguineæ uteri hæmorrhagiæ male suppressæ plurimum debentur. *A. N. C.* Placentulæ embryonum primis mensibus extinctorum vel abortu exclusorum remanentes formant molas, generationis quas appellant; maturæ sive adultæ putrescunt facile vel in hydatides mutantur, ex quibus sic dicti partus vesiculares. *Vater.* Molam gestantibus abdominis

tur-

turgescentia planior est ac versus hypochondria latior; abdomen est alio tempore plenum ac distentum, alio iterum flaccidum & quasi dimidia parte vacuum; sentitur etiam plumbeum ordinarie pondus versus infimam abdominis regionem; & quod peculiare, aliis simul sumtis, molæ signum, puncturæ in abdomine sentiuntur. *Crato.* Certiores autem sumus, si vel ultra justum tempus remoretur partus, vel hoc tempore computato dolores vel nulli incidant plane vel vagi, inconstantes, vel plane evanescentes eveniant, abdomine in antiquo statu relicto. *Carr.*

Morbilli.

Singulare profecto est, ubi de morbillis sinistra parte, dextra variolis, diviso ad perpendiculum corpore, meminit *Pechlinus.* Sunt pueri, qui bis vel etiam ter morbillis corripiuntur. Rosalia *Ingrassiæ* sunt morbilli nothi sive spurii; habent pustulas magis, urentes, rubentesque ac veri. Prænunciant morbillos, fere certo, palpebrarum intumescentia, lacrymarum in oculos effusio, sternutatio, urina lacteo-alba, turbida, grassante epidemia. *Sydenh.* Si morbilli cum magno ingruunt frigore, indicant morbum fore pessimum in sua specie. Per se minus periculi habent, si modo rite tractentur. Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur symptomata atque variolorum. Solvitur febris exanthematis, liberali transpiratione,

ne, urinis, diarrhoea. Bono omine aliquando facies, vel aliæ quoque partes, maxime in augmento, intumescunt. Suſpectorum notæ ſunt: capitis dolores per totum morbi decurſum durantes; ante eruptionem dolores artuum diu pertinacius infeſtantes; magis adhuc, ſanguis per quæcunque loca largius fluens; impenſa virium proſtratio; inquietatio ſumma; vomitus poſt eruptionem; deglutitio difficilis; delirium; petechiæ, varioli, purpura; cæcitas ante eruptionem; tuſſis continua cum alvi profluvio & inquietudine &c. Vidi tamen morbillos variolis ſociatos non ſemper fatali cum exitu. Obſervavi vomitus poſt eruptionem largos ſine damno, quin cum ευφορια in hypochondriaco, bilioſo Juvene, Genius ergo epidemiæ ſpecialis & individua alterant, quod bene ſemper attendendum.

Liveſcentes vel nigreſcentes plurimum ſunt exitiales. Epilepſia in ſtatu peſſima. Diarrhoea, ſi fert genius epidemiæ, per omnem morbum innoxia eſt; in retrocedentibus aliquando ſine reditu exanthematum morbum ſolvit; Morbo ſuperato ad plures hebdomades excurrens, tabem infert. Tuſſis morbo abſoluto diu durans cum raucitate, φθισιν vel hecticam minatur.

Pectori maxime infenſum eſt morbilloſum venenum. *Hoffm.* Urina ſanguinea magnum portendit periculum, maxime poſt d. 5. 6. Haut rite expulſi aſthma, contracturam, catarrhum ſuffocativum, φθισιν, tabem, œdema relinquunt. Ex debito regimine neglecto ſuper-

erveniunt ὀφθαλμία, tumores glandularum trumosi, œdema pedum, febris remittens &c. ix medicatione regimineve calidiore, declinan- e morbo, pluries lateris dolor; peripnevmo- ia cum febri & dyspnoea remanent, quæ plu- es jugulant quam morbilli. *Sydenh.* Moriun- ur d. 9, suffocatione; tardius tabe, hectica, entis cum ἀτροφία & abdominis tumore. *Hoffm.*

Narium valetudines.

Olfactus amissus rarissime recuperatur, præcipue in senibus. *Ettm.* Olfactum meminimus per annos XV. abolitum, revocatum tandem sub febre tertiana intermittente biliosa. n occiput graviter lapsi, tota sua vita quandoque gustandi & odorandi amittunt virtutem. Odoratus læditur ozoena, polypo, sarcomate, coryza. Fœtor narium qui à polypo, ozoena, sarcomate, corruptione ossis vel humorum stagnantium, prædictionem in eorum malorum conditione habet. Quando acute febrientibus quædam fœtent, aut etiam saporem fœtidum habere videntur, quæ tamen revera non sunt, & citra vitium antecedens narium & linguæ, malum est. *Hipp.* Ulcera narium recentia & boni moris facile curantur, contra vetusta, sordida & putrida, ozœnam dicunt, atque in cancrum pluries degenerant insanabilem; ubi à venerea lue vel elephantiasi incipiente, medelam recipiunt. Naribus ulceratis plus sæpe super-

fupercrescit farcoma, plerumque, fi boni genii, curabile. Polypus mollis, albus vel ruber, vel ex his compofiti coloris facilius curatur quam durus, lividus, dolens, ficque cancri metum qui habet, maxime fub effero humorum motu & individui pravitate. Facilior qui in ima vel media narium parte refidet, & contra, qui in fumma hæret; pejor item, qui craffiorem habet radicem, quique infuper in fcorbuticis & venereis, ob hæmorrhagiam ex operatione metuendam; fimiliter, qui è fpina ventofa productus eft; porro, qui ad fauces usque increvit, ex quo loquela & deglutitio infigniter impediuntur, quin homo interdum fuffocatur; tandem, fi utramque narem polypus implet. *Heifter.*

Nephritis.

Vid. Renum & veficæ urinariæ morbi reliqui.

Oculorum Affectus.

Oculo uno laborante vel læfo alter quoque de facili laborat. Si pituita copiofior, craffior, flavens, humori purulento fere fimilis, majori impetu five effluxu ex oculi cantho, fine evidenti caufa, erumpat, de gonorrhoea repente cohibita cogitato in fufpectis. Citius fanescunt oculi adultorum & quibus bonus valetudi-

tudinis ſtatus, quam ſenum atque infantum, itemque morboſorum. Dolor oculorum diuturnus valde malus eſt cum periculo ſuppurationis vel exulcerationis. Veneri ſtrenue litantes, oculos deportant hebetes. Morbi dentium in morbos oculorum mutantur, & contra. *Rega.* Viſus debilitatem aliquoties attendimus ſenio ſublatam, mitigatam. Viſus quandoque ante obitum in cæcis revertit.

Ophthalmias præcedunt involuntariæ lacrymæ. In contuſionibus cranii & læſionibus meningum ſi 7. vel 11. d. gravis ſupervenit ὀφθαλμία, ſignum eſt mortis imminentis. Poſt diuturnitatem ophthalmiæ fluentis ſub æſtatem accidere ſolet lienteria, teneſmus, diarrhoea varia. *Hipp.* Copioſiores lacrymarum effuſiones, utut mordaces, ὀφθαλμίαν non diutius duraturam ſpondent. Cephalalgia firmiter fixa, quæ lippitudinem vel anteivit, vel conſecuta eſt, periculum cæcitatis adfert. *Duret.* Si ὀφθαλμία magnam movet febrim, & eadem hac exaſperatur, malum, atque cæcitatis metus aut mortis. Purgantia fortia in ophthalmiis pernicioſa ſunt & corneæ exulcerationem mucoſam de facili invehunt. Si unus oculus inflammatus magis is dolet, quam ſi ambo. In ophthalmiis puerorum quære de achoribus, tumoribus glandularum colli, aliis morbis cutaneis, prægreſſis, eorumque medicatione inſtituta. Ὀφθαλμία venerea & ſcorbutica non ſine ſummo periculo eſt, inprimis ubi in orbita os quoddam vitiatum. Ὀφθαλμίαν ſcorbuticam chronicam zona ardente ſolutam vidimus.

mus. In contumaci oculorum inflammatione de contagio inquire venereo. Bona spes est in ὀφθαλμίᾳ humida si crassa pituita mollisque fieri incipit, qua palpebræ coalescunt, atque ubi hæ intumescunt. Chronica si invaluit lippitudo, difficulter exstirpatur. Inflammatio si in superficie palpebrarum interna facile in suppurationem abit cum εὐφορίᾳ. ὀφθαλμία quo magis assuefit & periodica evadit, sæpiusque recrudescit, eo obstinatior observatur. In ophthalmicis inflammationibus sciscitare, an antehac hæmorrhagiæ fuerint familiares? Criticam in pleuritide observavit *Yvesius.* Humidæ genus ῥοώδη, quod incalescentibus palpebris, calente capite, cum febre esse solet multoque dolore, lacrymis primum multis, calidis, limpidis, vicina erodentibus, posthæc crassioribus, pinguibus, puris instar, crisis est febrium, nec turbanda. *Hipp. Platn.* Est aliquando cum visu duplicato. Quo magis crassa heic est pituita lacrymalis, eo plus detrahitur inflammationi; si turbatur salutaris hæc coctio, corneæ ulcera supercrescunt, acies obtunditur, quin lumen nonnunquam prorsus perit; vel in internam nobiliorem partem perniciose reprimitur materies morbosa. Ὀφθαλμία sanguinea diu persistens hypopyum, pterygium; serosa contumax lippitudines, immo cæcitatem inducere potest. Vehementissima sæpe in oculi abit suppurationem cum cæcitate, dicunt χήμωσιν. Non raro post febres aliosque morbos oriri solet, si horum materia in oculum convertitur, & hanc periculosiorem gignit inflammationem.

Gra-

Gravior οφθαλμια per menſes quandoque du-
rat, maculas in cornea relinquit, humores tur-
bat, puſtulas, ulcera circa corneam profert,
quæ rupta evacuationem humoris aquei admit-
tunt, quod viſus quandoque abolitionem, cor-
neæ ſubſidentiam, creat. Ad ophthalmiam & ſuffuſionem proni creduntur præ aliis, oculis prominentibus gaudentes. Solutio fit ophthalmiæ dejectione alvi ſeroſa, pituitoſa, bilioſa, cruenta; hæmorrhagia; febre; (hâc quidem magis ſeroſa.)

Oculi vulnera ob vicinum cerebrum tuta haut ſunt. Humores vulnere effuſi protinus iterum renaſcuntur. Oculorum hæmorrhagia in adultis & infantibus rarior obvenit, nec letum infert. Ulcera oculorum curatu difficilia ſunt & periculoſa, magis tamen in cornea quam adnata, inprimis ſi è regione pupillæ ob remanentem cicatricem, quæ corneæ diaphaneitatem aufert, ſicque viſionem lædit. Cancer oculi ſemper incurabilis eſt, ni quandoque manu tempeſtiva exſtirpatus; ancipitis autem operatio eſt eventus, dum vel gangræna vel convulſiones vel repullulatio ſubſequi plerumque ſolent.

Amavroſis ſive gutta ſerena perfecta & inveterata nullum medelæ relinquit locum, metumque apoplexiæ, paralyſeos, incutit. Recens & imperfecta curationem admittit maxime in junioribus; item, ſi ex malis ulceribus; ex nimia venere; morbo venereo; ſi periodica; ubi ex partu difficili; ab humoribus collectis defluxione, nervos comprimentibus; con-

N tuſio-

tusione gravi; ictu capitis; ab assumto vomitorio vehementi; ex graviditate; à colica cum pertinaci alvi obstipatione; ex insufficienti variolorum aut morbillorum eruptione cum defluxionibus catarrhosis; (hæc circa annos pubertatis maxime magnam vel plenariam recipit sanationem.) Cæcitatem ex achoribus provenientem, biennem, variolis abactam memini semel. Minus pariter manet auxilii, si in paralyticis; si humor vitreus turgeat & retinam premat; vel tumores nervum ubi comprimant. Notavimus cæcitatem ex podagra emplastico opiato à nebulone agyrta repressa, cantharidibus hac feliciter revocata, depulsam iterum.

Gutta serena si superveniat apoplexiæ vel epilepsiæ, plerumque signum mortis est vel vehementiæ morbi insuperabilis. Qui subito à causa interna occæcantur, infaustum habent præsagium, nominant *Augen-Schlag.* Cataracta sive suffusio spem bonam habet, si color albido-cæruleus, vel parum flavescens; si oculus nec durus est nec nimis mollis; si quid luminis relictum, ita ut pupilla in tenebris aliquantum contrahatur, in luce vero dilatetur; si simplex & matura; si oculus nullam aliam habet noxam, licet antiquissima sit, v. g. XXX. annorum uti notatur curata; *Maitre Jean.* contra vero, vix sanabilis est tremula & quæ huc illucque movetur; quæ colorem habet auro, æri vel ferro polito similem; si ex phlegmone, ictu gravi, longa atrocique ægrimonia; si antea fuere acie habetes oculi;* si de figura naturali recidit oculus nec sensus fulguris relinquitur; si vi-

ſi vitium in humidis; ſi nil luminis diſtinguit æger, ea enim cum amauroſi eſt hincque & operatio inanis; ſi uvea vel ipſi cataractæ adhæreſcit, vel rigida eſt vel pupilla male vitiata; ſi capitis dolores vehementes adſunt; debilis vel ſenex æger eſt. Cataracta lactea & purulenta haut omnino deſperatum malum eſt. Variegata nondum maturitatem habet. Cataracta quæ optima viſa & providiſſime tractata, quandoque artem eludit; & contra. *Heiſter.* Incipiens, ubi per nebulam quaſi conſpiciunt, in florente ætate medicamentis eſt ſuperabilis. Cataracta poſt acutas malignas ſternutationibus ſponte ſubortis quandoque tollitur. *Hoffman.* Suffuſio idiopathica vix in utroque ſimul incipit oculo. Suffuſio quæ intermittit ac remittit, ex ſtomacho eſt, eaque quoque ambos oculos eodem tempore adficit, nec quid concreti humoris in iisdem cernitur. De ſene nonagenario vulnere frontis à cæcitate liberato ſcribit *Alex. Benedictus.*

Epiphora eſt ſpecies catarrhi in glandulis oculorum. Epiphora à canthi majoris tumore, polypo narium, palpebrarum diſtorſione, vel fiſtula lacrymali, curatur, hisce ſublatis cauſis; æque, ſi puncta lacrymalia tenui cuticula obtexta ſunt, contra, ſi ab iisdem concretis, eroſis, ablatis, caruncula lacrymali deficiente; ſi morbus antiquus & à ſenecta, immo frequenter tum in fiſtulam degenerat lacrymalem. Ubi infans uberibus adhuc nutritus epiphora laboret gravi, in nutricem inquire, an Paturſæ veneno notata ſit?

Visus duplicatus recens, symptomaticus, à causa externa, spasmo, facile medicationem admittit secus, inveteratus, in paralysi obveniens; In fine febrium hecticarum mortem proxumam indicit (est & in aliis morti vicinis obvia); *Vater*. In defluxionibus oculorum chronicis amblyopiam aut amavrosin nunciat. In arthritide scorbutica frequens est. *Drawiz.* In ex morbis gravioribus reconvalescentibus quoque observatur.

Visus dimidiatus in scorbuticis ac hypochondriacis obveniens corrigi potest; contra si idiopathicus vix quidem, *Vater*.

Maculæ ante oculos volantes, variæ figuræ, difficillime tolluntur, præprimis si jam sunt antiquæ, & haut raro vel amavroseos vel cataractæ existunt prodromi; aliquando à varicibus retinæ producuntur. Σκληροφθαλμια sæpe oritur in ardentibus febribus; tendit in gangrænam, suffusionem, amavrosin, ac nonnunquam caliginem perpetuam. Corneæ ulcera oriri noscitur, si in ea aliquid de nigro albidum factum est. Cicatrices hinc enatæ, minus altæ levesque, in infantibus pededentim, adolescente ætate sponte extenuantur, & contra in adultis, nec operosa arte. *Platner*. Corneæ ruptura & uveæ procidentia exigua, curationis spem habet. Pterygium, Pannus sive Unguis plerumque incipit à narium parte & caruncula lacrymali, rarius à parte temporum; curatu difficillimum malum est; recens & minus remediis nonnunquam auscultat, auctum vero & adiridem se extendens, inveteratum, manui tantum

tum cedit; unguis, qui crassus, eversus, eminens, induratus, nigricans curari non potest, cancrosam enim naturam obtinet; si oculus in hoc affectu minor evadit, malum. Albugo difficillimæ curationis est affectio, corneæ enim substantiam lædit; quæ à pituitoso fit humore ex οφθαλμιας relicto, curatur facile, inprimis si recens & in infantibus; quæ vero à cicatrice relicta, difficillime. Levcoma nunquam tolli potest; aliquando in pueris extenuatur. Staphyloma si non in ipso pupillæ loco atque inflammatio abest, non facile luminis acies corrumpitur; sæpe gravissimas inducit inflammationes, cephalæas, vigilias, suppurationes, haut raro cancrum ipsum. Phlyctænæ in adnata minus periculosæ sunt quam in cornea; superficiariæ pustulæ minus timendæ, profundiores contra, quum vel humoris aquei effluxus vel uveæ procidentia curas augeat. Ectropium pro causæ diversitate curabile est vel minus; Inveteratum manet inemendabile; item, quod à paralysi radicata; à cicatrice duriore ac grandiore. Trachoma, malum contumax, subinde prorsus insanabile. Hydatis palpebrarum cum inflammatione facile in abscessum & ulcus abit. Αγκυλοβλεφαρον cornea coalita sine cæcitate vel saltim visus læsione vix ac ne vix quidem curari potest; difficultas hæc suevit post ambustionem & variolos. Scleroticæ læsiones summa sæpe solent inducere deliria ob nexum cum optico nervo. Choroideæ phlegmone sæpe oculi προπτωσιν movet; hypopyo quandoque

finitur,& ni maturius opem feras, ſuppurat atque rumpitur oculus; aliquando luminis cæcitatem inducit. In hypopyo pus quo copioſius, acrius & flavidioris eſt coloris, eo majorem incutit metum arrodendæ deſtruendæque non modo iridis, ſed etiam corrumpendæ totius internæ oculi ſtructuræ & ſuppurationis deſtructoriæ, quæ Sepedon nuncupatur. *Mauchart.* Strabismus ex corneæ ulceribus, cicatricibus, ex rhachitica oſſis ſphenoidei intumeſcentia, magna ſuppuratione, parum ſpei relinquit. Qui à nativitate, ex obſtetricis culpa oculo vexato; qui à parentibus hæreditate acceptus, nulla ope adjuvari poteſt. Nyctalopia plurimum prehendit pueros ac juvenes, iique vel ſponte evadunt d. 40. vel 7. menſe, vel poſt annum demum, vel ſupervenientes abſceſſus præſidio ſunt. Rite menſtruatæ vix experiuntur morbum. Αγχιλωψ & Αιγιλωψ difficulter ſanationem recipiunt, facile enim in fiſtulas degenerant; imo αιγιλωψ in cacochymicis interdum quid cancroſi alit. Ulcera canthi oculi majoris facile abeunt in fiſtulas, in impuro corpore haut raro carcinomatoſas. Fiſtula lacrymalis recens in corpore ſano ſine carie, callo, ductus naſalis obſtructione &c. medelam facile recipit; perfecta, quæ cutim externam perrumpit, ſæpe callum, cariem habet comitem, non curatur, niſi his ſublatis; recrudescit, niſi ductus lacrymalis apertus continetur.

Ατροφια oculi ratione cauſæ variam habet prædictionem. Quæ ex topicis narcoticis copioſe vel nimis diu ſuperdatis, à cephalæa chro-

chronica, rebelli, à pravitate humorum superabili &c. melior est illa, quæ à nativitate, violentia externa, cum totali corporis ατροφια &c. *Mauchart.* Non semper totalis est, pluries ex parte tantum, v. g. retinæ, quæ crebra in iis, qui vel quæ fortius aciem luminis intendunt, acu pinguendo, filis maxime ex auro ducto; item in pupilla obvenit. Hydrops oculi rarissime sponte diminuitur; inveteratus medicinis difficulter dissipatur, & si decreverit, visus tamen plus minus labefactatur. Tenuis spes manet, si humor sit concretus, turbidus, quasi congelatus, cataractam mentiens, & contra; accedente inflammatione facilis superaccedit suppuratio, corneæ exesio, crepatura, effluxus humorum, ni operatio juvet, quæ aliquoties aliquando repetenda venit, quaque hydrophthalmia pluries feliciter aufertur. *Mauchart.*

Odontalgia aliique dentium & gingivarum morbi.

Magnus est consensus aurium, dentium atque intestinorum. Morbi dentium in morbos oculorum mutantur, & contra. *Rega.* Feminæ præ viris adfliguntur odontalgia, hi autem plurimum acerbius. Spasmus odontalgicus cum fluxu hæmorrhoidali sæpius conspirat. Ex dentis evulsione cruoris fluxio nonnunquam exoritur vix compescibilis, quin sæpe letalis. *A. N. C.* Si odontalgia à nervo in dentis meditullio hærente, læso, medicinis tolli nequit.

Ex arthritidis aberrationibus ſæpius naſcitur. Arthriticis ac rhevmaticis doloribus expoſiti raro laborant odontalgia. Facile revertit ut articulares morbi ſuevere. Recidiva odontalgiæ idiopathicæ rationem habet in carie dentium, ſymptomaticæ in congeſtione conſuetudinali. Sternutatio fortis, vomitus, ſolvit ſeroſam. Dentis ſyderatio abſceſſum ad gingivas enatum ſolvit. Dolentibus dentibus maxillarum inflammatio bona. Tumor in genis, gingivis aut maxillis ſubortus, doloris ſolutionem communiter adfert; aquæ per os ejectio æque ſalubris eſt. Odontalgia nimia febrim, vigilias, delirium, convulſiones quandoque adducit in junioribus præſertim. Quæ à ſero acri, tenui, ſalſo, vehementior quidem eſt, ſed citius definit, & contra, ſi à pituita. Quæ in ſcorbuticis & venereis curatu difficillima eſt ac contumax, ſæpiusque recurrit, donec ſcaturigo princeps ſublata ſit. Si pus ex parulide exitum non habet, epulides, tumores fungoſi, ulcera, caries & fiſtulæ crebro naſcuntur. Nonnunquam per dentium radices & maxillæ foramina, per quæ vaſa in eas ſubeunt, ſenſim extra fluit ſanies è dente corrupto, & tubercula in mala vel mento excitat, quæ nullo modo curantur, niſi dens extrahatur. *Sennert.* Gingivarum eroſiones perſeverantes quandoque vermium inteſtinalium præſentium criterium præbent, iisdem per alia non indicatis. *Hildan.* Hæmorrhagia gingivarum citica, licet rarius, obvenit interdum. Talem in ecthymatis laborante obviam, donec morbus ſuperatus fuerit,

non

non cessantem, reprimentibus in mictum cruentum mutatam, & hoc cohibito arte, revertentem denuo tradit *Dodonæus*; pariter febrem ardentem sic solutam, ut sanguis instar rivuli profluens libras amplius quinque excederet, scribit *Am. Lusitanus.* Symptomatica in scorbuticis & hæmorrhoidariis occurrit. Feminæ, quæ fucis ex mercurio utuntur; dentes nigros aut fœdo colore infectos habere consueverunt; æque qui hydrargyro fuere inuncti.

Oedema. Habitus cutanei subita inflatio.

Oedema promtius per hiemem crapulosis & senibus accidit. Quidam corporis crassioris & crapulosi cruribus oedematosis diutius vivunt. Evenit œdema omnibus corporis partibus, in- & externis. Qui diu pallidi faciem habent tumidam, eos certum est aut capitis aut viscerum dolore laborare, aut sedem internam quodammodo male affectam esse; magna autem ex parte non unum aliquod horum adest, sed interdum multa, aut etiam omnia. *Cels.* Oedemata ab internis causis deteriora sunt illis, quæ ab externa manifestius pendent. Perrupta temporarium quidem levamen, sed funestum tandem eventum adportant; hinc & pluries erysipelas malum. Oedema pulmonum, pleuræ, mediastini &c. viam pandit pectoris hydropi. Oedematosi tumores alternant cum asthmate. Oedemata ad crura & puden-

da solvunt asthmata. *Bagl.* Tibiarum inflatio adparens vespere ac mane discussa, cum bonis signis bona, cum malis mala est. Oedematosi pedum, crurum, tumores ex viscerum obstructione vel alio eorundem vitio laborantibus familiares sunt; maximeque id ominandum, si sunt vel augentur post hæmorrhagiam δυσκριτον. Artus œdematosos nec extra lectum perpetuo & insigniter frigere; nec in lecto constanter ac notabiliter calere, bonum præbet indicium. Oedema per se sine malis causis natum sæpe & per se finitur. Quod sponte, nulla ex manifesta causa adparet, diuturnum esse ac magis rebella assolet. Oedematosi pedum tumores sub febre orti adeo periculosi non sunt, quam si post eam remanent. Oedema febribus alias superventurum averruncat ptyalismus sponte accedens. Sponte febres intermittentes œdematosis tumoribus solvi, salubre est admodum; ast adstringentium usu suppressa febre, intumescere febres, quantum interest? ut, nisi prior morbus revertatur, salus sæpe sperari nequeat. In acutis tumidas partes spectari, sub aliis signis bonis malum non est; sæpius natura humores decretorie diebus judicatoriis, vel in declinatione, ad crura pedesque dimittere solet; aliquando etiam facies tumet, aliquando totum corpus.

Quibus accedit œdema manus, brachii, pedis, unius vel alterius, signum impedimenti circa cordis ventriculum aut auriculam est, aderitque spiritus difficultas, ægrimonia ad internecionem miseri properante. *Bagl.* Oedema quod

quod ex obſtructione naturalis evacuationis ſolemnis, eadem reſtituta juvatur. Scorbuticum, mali fomite exhauſto, demum quoque ceſſat. Quod ex quartana male curata relictum, eadem revertente abit; idem valet de ſcabie. Ex arthritide topicis excepta ſubnatum, nulla discutitur arte. Inveteratum ac hiemale peſſimum, emollitum mala ulcera & gangrænam facile infert. Quod vetuſto & gravi ſuccedit morbo ac ancipiti, difficilius tollitur; & in morbis inſanabilibus etiam nullam recipit curationem. Non adeo difficulter cedit œdema prægnantium robuſtiorum; ex gravi quadam ſanguinis profuſione, integris visceribus, reconvalescentium; ex faſcia arctius ducta; poſt febres eodem ſolutas. Aſt magis periculoſum, quod in infirmis obtingit gravidis & diutius poſt ipſum partum remanet, id quod haut raro aſthma, ſuffocationem, hydropem inducit. Si ſimplex eſt œdema, bene recedit, ſi autem ex depravato humorum ſtatu, difficulter, & in ſcirrhum quandoque degenerat; perraro etiam ſuppuratur, quod periculoſum. Oedema ſæpiſſime reſolvitur, haut raro in nodos quosdam & excreſcentia tubera migrat; ſi indureſcat, in ſcirrhum abire ſolet. *Schelhamm.*

Subitaneæ habitus cutanei inflationis gravitas judicanda eſt ex materie peccante & ſubjecto individuo. Quæ ex graviditate poſt illam quoque abit. Aufertur optume diapnoë liberali; ſudoribus; purpura; aliquando urinis craſſis, copioſis; diarrhoea; ſputis. *Transact. Anglic.* narrant inflationem repentinam & ingen-

tem

tem mammarum, quarum sinistra 35. libras habebat. Ex terrore per omne omnino corpus inflatum hominem dicit *A. N. C.*

Ossium Morbi.

Ossium jam perfectorum diminutio aut totalis absumtio est observata *Ruyschio*, *Vatero*. Peregrinum plane ac mirificum nuper tradunt hujus φαινομενȣ exemplum, cunctis artuum exteriorum ossibus cum corporis diminutione fusis atque mollitis, *Parisini in Diario la Bigarure* dicto, salva hisce miscellaneis fide posita. Propter os laborans caro livida, malum. Caries cum ulcere ac gangræna, exostosis maligna & pædarthrocace cum cancro occulto & carcinomate, exostosis benigna cum scirrho benigno comparari potest. *Platn.* Caries ossium venerea, periculosa. A causa quæ externa facile tollitur, & contra, si ex vitiato corporis habitu. Quæ in ossibus raris cavernosisque; ad articulos, cartilagines, pessima. Ossa infantum carie ex vitio intus orto, ut pædarthrocace, inquinata, celerius corrumpuntur quam adultorum; si vero extrinsecus illata injuria, sub sana medela nulla decidit squama, sed os iterum in his suo periostio protinus contegitur. Ubi dolor conquiescit exeso periostio, mala materies totum os voravit. *Platn.* Si ulceri vel fistulæ cum ossis vitio cicatrix inducitur mollis, rara, & quæ super cutim fere excrevit, eadem renovantur. Cranii caries aliquando ad

extus

xtus vergit cum exfoliatione ac consolidatione, naturæ beneficio felici. Os specillo inæquale ac asperum detectum, cariosum est. In spina ventosa consummata & vera præter excisionem remedium superest nullum. Talem vidi totius ossis brachii, radii & ulnæ ex paronychia digiti, eodem cultro cotidiano à circumforaneo crudeliter in rustico firmo abscisso, ortam. Exostosis benigna frequentius in capite & tibia nascitur; maligna ex scorbuto, rhachitide, morbo venereo, pessima & incurabilis est, maxime si horum morborum conjunctio adhuc sit, uti haut rarum est. Memini spontaneam luxationem & repositionem claviculæ in puella decenni, æque, ossis humeri in hebræo veterano epileptico, sæpenumero recrudescentes. Semiluxationem à terrore ingenti tradit *Pechlinus.*

In pueris rarior luxatio est, sæpe vero epiphyses prope articulos à reliquo osse diducuntur, unde sæpe aridura. Luxatio ligamentorum musculorumque vitio facta, nullam curationem recipit. Articuli, qui facile reponuntur, facile quoque iterum excidunt. Os humore confluente sinu extrusum, vel quod ipsum id intumuit, vetustæ sedi adsuescere non potest. Luxatio causa interna eveniens ariduram partis post se relinquit communiter, maxime in junioribus. Os quod reponi non potuit, tandem cum sedibus, quibus residit, concrescit. Si reposito osse vehemens dolor manet, vel convulsio succedit, in loco suo non est, & ab eo premitur ligamentum &c. Falsa est opinio, vertebras ex toto inter se diduci, & ex to-

to

to etiam restitui posse. *Platn.* Raro vertebræ excidunt. Vertebrarum distortio plerumque frustra ficta est, vereque residet in capitibus musculorum abdominis, ubi sub costis spuriis cum musculi diaphragmatis orbicularis capitibus conjunguntur. *Schulz.* Costæ ac jugulum frequentius franguntur quam è sede sua promoventur. Os coccigis ubi excidit vel fractum est, inflammationem, abscessus, mala ulcera, fistulam recti creare valet. Humerus frequentissime in alam emovetur. Brachium flexum in posteriorem partem frequentius excidit; ubi hic articulus egreditur, ob valentiora ligamenta, axungiam, arterias, venas, nervos, quæ per cubitum feruntur, periculum habet æger. Manus raro ad minimum digitum, rarius ad pollicem sede movetur. Femur raro luxatur, sæpius frangitur; *Salzm.* sed prius quoque accidit aliquando, vix autem ex vi lapsuve, nisi ligamento interno disrupto vel deficiente; sæpius ab humoris in acetabulum confluxu ligamenta laxantis, exedentis, distendentis, propellentis; quandoque à coxæ dolore longinquo. Frequentissimum est promoveri in interiorem inferioremque partem. Repositum facillime iterum prolabitur & vix sine claudicatione restituitur. Patella luxatur, sæpius, transversa inprimis, frangitur, quod imperitis opinionem ossis luxati facere potest, dum musculis sursum versus attrahitur; ergo difficilem quoque curationem habet.

Talus si expellitur, magnum est periculum inflammationis hinc gangrænæ, vel abscessuum, fistu-

fistularum, ossium vitii, calli, αγκυλωσεος. Sæpius denuo excidit ex illata ligamentis ατονια. *Platn.*

Plantarum pedis ligamenta disrupta volunt aliquando amputationem. In magnis ossium comminutionibus atque contritionibus etiam post multos annos fragmenta ossium prorumpunt. Eveniunt ossium fracturæ ex humidorum vitio sine violenta causa externa, contactu motuve. *Waldschm. Berl. woch. Med. und Chir. Nachr.* Fractura simplex & recens longe facilius curatur quam quæ cum vulnere, luxatione, magna contusione, sanguinis profusione, carie, atque inveterata. Aliquando luxatum os quoque fractum est. Os transversim fractum melius coit quam quod oblique cum acutiori inprimis capite, pungentibus aculeis, ex quo inflammationis, suppurationis, febris, gangrænæ, hæmorrhagiæ, convulsionis &c. periculum. Difficilius glutinantur, quibus visceris vel humorum inest corruptio. Fractura, quæ non conferbuit, ex vetustate incurabilis fit, articulatione oborta analoga. *Salzm.* Fissura metum facit ne medulla vitietur. Si os juxta articulum fractum, facile αγκυλωσις manet. Callus, quasi ossis cicatrix, exuberat facile, membro indecoro, ob fasciam maxime in junioribus laxiorem; vetustate confirmatus raro extenuatur. Malleolo fracto facile superincrescit callus, indecora parte. Narium ossa fracta crebrius gravem inducunt inflammationem, occasionemque faciunt suppurationibus, ulceribus, polypis, ossium vitiis, idque potius si cum vulnere.

Ma-

Maxillæ inferioris fractura cum ossium emotione periculi est asperi ob nervum quinti paris & arteriam quæ percurrunt. In jugulo oblique fracto gravis metus est ob vasorum subclaviorum vulnerationem. Fracturæ scapulæ c. vulnere aliquando supervenit emphysema. Costæ fractæ ad interioraque inclinatæ pleuram offendunt, ex quo gravis inflammatio, febris, spiritus difficilis, dolor, suppuratio, sputum cruoris, emphysema, (maxime hoc quidem si cum vulnere) interdum intercostalium vasorum læsio, quæ res quandoque mortem maturat. Vertebra ubi excidit vel perfracta est, adeoque medulla violata, plerumque nulla est curatio; partes inferiores resolvuntur, alvus & urina supprimuntur, homo intra quosdam dies extinguitur. Idem fatum manet eos, quibus os sacrum transversum fractum est. Si ex sterni osse quid fractum sit, valde periculosum, præprimis si id totum casus perrupit; Si os vitium contrahit, tumores supernascuntur cum suppuratione, mala ulcera cum carie relinquentia. Medium femur, oblique maxime, fractum, brevius fit, validioribus ac plenioribus musculis dum adducitur. Os femoris fractum vix ante dies 50. vel 70. sanescit. Si patella à parte infima frangitur, vel rupto ejus ligamento validissimo distrahitur, majus periculum est; si plura fragmenta sunt, callus nimius facile superincrescit, unde articuli contracti ac rigescentis metus; si in longum finditur & frangitur, tolerabilius est. Suturæ percussæ, inprimis sagittalis, grave portendunt periculum.

lum; Os frontis super supercilia fissum vel fractum, pariter. Contrafissura cranii difficilius reperitur, non ita facile quoque sanatur. Quum homo, cui mens constat, in parte aliqua cranii dolorem percipit, quum alius propter continentem somnum appellatus ignorat, vel, qui inter verba desipit, manum alicui loco crebrius admovet, conjectura perducimur ad noxæ sedem. *Platn. Heister.*

Paralysis.

Ebriosi in paralysin labentes omnem simul memoriam & ingenium perdunt. Quandoque per se ingruit paralysis sine prævia apoplexia, prægressis tantum torpore, gravitate, vertigine; facile tamen in eam migrat. Tremor, formicationis sensus, stupor in corpore sano est prodromus paralyseos, in paralytico sanitatis. Paralytici memoria fiunt debiles, obliviosi, ac tandem quasi pueriles, maxime linguæ paralysi correpti; hi quidem si juniores, superstites diu esse possunt, si annosiores, facile recursum paralyticum, fatalem, sustinent. Paralysis vix unquam in alium morbum mutatur, *Piso.* In maniam tamen sive potius summum delirium versam notat *à Bergen.* Paralysis curatu, maxime & sensu deficiente, semper perquam est difficilis, maxime in senibus & quæ inveterata. Infantes si corripit, circa pubertatis annos quandoque liberantur. Paralysis torquens facilius curationem recipit, quam ubi & omnis abo-

lita sensatio. Mediocris paralysis vix sanatur, vehemens sanari non potest. Quæ ex nervo rupto aut inciso nata, non curatur. Æstate ac vere facilius tollitur quam autumno & hieme. Pes paralyticus facilius restituitur quam brachium. Sinistri lateris periculosior est illa dextri. Intra annum sæpe fortior recrudescit. *Stahl.* Raro tertius annotatur recursus. Paralysis in acutis plane perniciosa; quamvis vita redditur, id tamen membrum fere debilitatur. Febris solvit paralysin à sero, viscido, natam, inprimis si æger viribus constet, absque dolore capitis & vertigine sit. Sponte sua solvuntur paralyses aliquando per fortes animi commotiones, v. g. incendium, terrorem gravem. *Pechl.* Bonæ notæ sunt: in recenti morbo copiosa saliva; sensuum (plus, minus,) memoriæque integritas; urina crassa cum symptomatum remissione; si vaga magis existit; si quid caloris naturalis superest; si reviviscit dolor, tremor, formicatio membrorum, spinæ dorsi, femorum, lumborum; si œdema in declinatione accedit pedum; aridura ubi vanescit; motus ubi redit; membrum alitur; pulsus magis æqualis ac fortior fit; si excrementa inscii prius emiserint, jam vero moneant, quando demittere volunt &c. Mala sunt indicia: si feces & lotium involuntarie exeunt; si ex paralysi in apoplexiam incidunt; si paralysis ab apoplexia; si plures occupat partes; ubi μαρασμος, partis macies, sudor colliquativus superveniunt; si cum sæva convulsione & magno calore partis oppositæ; ubi cum frigore, insensibilitate, pallore, atrophia par-

partis; oculi affecti lateris ubi cum extenuatione &c. Si tumor membri paralytici chronicus ſponte ſubſideat, brevi mors inſtabit. Obtingit nonnullis lateris correpti ſphacelus, antequam moriantur. Obeunt tandem μαρασμῷ & colliquativo ſudore; vel apoplexia ſubito necat. Oris reſolutio recens alvo cita finitur. Scorbutica paralyſis radice ſublata tollitur. Abdominis & artuum inferiorum plerumque letalis eſt, & non raro gangrænam partium reſolutarum habet comitem.

Paralyſis venerea bene cedit ſuis medicinis, ni admodum fixata & corrupta. Scorbutica facile in convulſionem abit; doloribus arthriticis ſæpe ſuccedit; diarrhoea aliquando ſolvitur. *Eugal. Draw.* Solent qui per omnia membra reſoluti ſunt, celeriter rapi; at ſi correpti non ſunt, diutius quidem vivunt, ſed raro tamen ad ſanitatem perveniunt, & plerumque miſerum ſpiritum trahunt, memoria quoque amiſſa. *Celſ.* Pareſes ex inteſtinalibus morbis paulo difficilius quandoque curantur ſi recentes, antiquiores facilius. Paraplegia valde periculoſa, apoplexiæ prænuncia, hac nata letalis. *Boerh.* Convulſio paraplegiæ ſuperveniens quandoque ſolvit eam.

Hemiplexia ſanguinea curatu quidem facilior eſt, aſt facile revertit ac in ipſam cerebri hæmorrhagiam ſæpius terminatur. *Hoffm.* Seroſa non ſubitam quidem infert mortem, aſt difficillimam curationem. Lingua paralytica citius officio deglutiendi cibos maſticatos quam ſermocinandi fungi ſuevit. *A. N. C.* Hemi-

O 2 plectici

plectici quando linguam exerere conantur, trahunt ſemper in latus ſanum; ſi vero valeant rurſus recto emittere itinere & paulo vibrare, ſpes eſt reſtitutionis. *Lege pagellas de Linguæ morbis p.* 174. Memoriæ debilitas à paralyſi, præcipue linguæ, apoplexia, deliriis, læſionibus externis violentioribus, difficillima eſt.

Parotis.

Quod de parotidibus dicitur, valet etiam de maxillaribus glandulis.

Parotides in morbis maxime acutis, prædicunt horror; capitis dolor; bombilus aurium; coma; ſurditas; hypochondria dura, tenſa, tumida; convulſivi motus cum alto ſtupore; ſi venæ micent in temporibus faciesque ſi turgidula fuerit cum pallore, niſi in hoc caſu urina vindicet multa, craſſa. Febres quibus junguntur, metaſtaſi facta, parotides, ſemper quid maligni habent. Omnes parotides fere ſemper ſuſpectæ haberi ſolent propter loci anguſtiam & cerebri viciniam. Parotides in augmento & ſtatu febrium malignarum & purpuratarum letales. Optumæ ſunt declinante paulisper morbo accedentes & ſuppurati. Bonæ extuberant ſine dolore, die critico, integris viribus, cum ſignis coctionis, magnitudine moderatæ. Quæ cum doloribus in febribus exoriuntur, non reſident neque ſuppurantur, has ſolvit larga hæmorrhagia, diarrhoea invalidosa biliosa, copioſa, dyſenteria, ſedimentum urinarum craſſarum, abſceſſus ad articulos. Parotis in ardente febre ad ſuppurationem non veniens, letalis. Parotis

is si symptomatice exoriatur, i. e. si eadem apparente symptomata adhuc vigent & morbus ne minimum mitescit quin potius augetur, pessimum, omnes enim moriuntur; critice si veniat, bona. *River.* Si crudo adhuc morbo parotis exsurgat, nec ob urgentia gravia symptomata suppuratio expectari queat, candente ferro statim urenda & ita procuranda suppuratio; Sic enim recipit materiam morbificam & conferre potest. Recedentes sine ratione neque ad suppurationem progredientes vel interficiunt vel recidivam annunciant prævio algore quodam. Purpura & parotides aliquando se invicem excipiunt. Per parotides in petechiis quoque fit salus, urina simul sudoreque bonis. Parotis inflammata ita premit venam jugularem quandoque, ut homo quasi suspensus vel strangulatus pereat. Parotis serosa non rite suppurata nec resoluta anginam quandoque inducit malam. Parotides catarrhosæ sive hydroparotides, prodigiosæ quandoque molis, tussi atque sputis optime solvuntur. *Piso.* Urina cum cruda, non cocta, atque fractis viribus jam quæ adveniunt parotides, mortiferæ sunt. Urinæ cum rigore suppressæ, malæ ac convulsoriæ tum alias, tum si cui antea sopor fuerit; spes autem his est abscessuum pone aures. *Hipp.* Quibus profunde ac crebro respirantibus est icterus & febris acuta, si cum hypochondriis duris perfrigefacti fuerint, glandulæ juxta aures intumescunt; hique parotidum abscessus vindices sunt icteri & reliquiarum febris. Urinæ in abscessibus juxta aures celeriter & vix modice

coctæ, malæ, & perfrigeri hoc modo, malum; etenim indicat aut præsentes augeri aut novos accedere amplius. *Hipp.* In diuturnis morbis non suppurantia aurium tubercula mortem adferunt, iis autem alvi fere dimittuntur.

Partus labores. Paturientium & Puerperarum ægrimoniæ.

Feminæ morbo attritæ sæpius pariunt felicius quam robustæ. Funis umbilicalis circumvolutiones v. g. circa collum, sunt à primis fetus rudimentis, nec in partu demum fiunt. *Pechlin.* Quo magis pariendi tempus menstruo tempori consueto se accommodat, eo facilior promittitur partus. Gibberosæ utplurimum difficulter pariunt. Mirabiliter nati sunt fetus sub matris somno profundo, alii post mortem ejusdem. *Heister. Vater.* Quæ gestantes utero febribus corripiuntur aut vehementer sine evidente causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur. *Hipp.* Adpropinquantis ad pariendum dispositionis à pluribus diebus signum est, molis abdominis prægnanti plane sensibilis inclinatio ad hypogastrium deorsum. De fetus emortui notis vid. p. 118. Fetus vivus adhuc, moriente matre, aut in matrice existens, aut ex utero in partu rupto in cavum abdominis delapsus, servari potest manu bene tempestiva, neglectus brevi post vita privatur; quo Lex regia *ff. L. XI. tit. VIII.* sane collimat.

Partum difficilem prædicere licebit, ubi aquæ omnes ante partum effluunt; uteri fluxio cruenta

cruenta liberalis anteit; femina crebro inhorrescit; ubi dolor partus languidus ac per longa demum urget intervalla vel justo diutius emanet, aut nullus plane est; si dolores spurii ad præcordia procurrunt cum animi defectione atque angore; ubi convulsiones accedunt, utpote itinera præcludentes. &c. Rigores horroresque sub partu difficili non semper testantur fetus mortem, sed plus sæpe initia febris inflammatoriæ ex utero. *de Berger.* Vomitus nigrorum in partu difficili, fœtoris intolerabilis, malum. Difficulter parturienti sternutamentum superveniens, bonum. *Hipp.* Mortem in difficulter parientibus indicant lethargus, sudor frigidus syncopticus, dyspnoea, delirium, convulsio, risus Sardonius &c. Puerperæ sæpe inopinato moriuntur ex nimio partus labore, interno anevrysmate rupto. Partum difficilem sæpe sequuntur tabes (*Eysel.*) scrofulæ, melancholia, mania, apoplexia &c. hæc quidem ultima diebus primis vel mox funesta vel in paralysin degenerans. Ventris dolor à partu cruorem, purulenta expurgat; in hisce doloribus peritonæum simul patitur; sæpe quoque sunt ab impuritatibus, cruditabus, flatibus in coli flexu. Puerperæ tractari debent ut graviter vulneratæ. *Waldschm.* Purgantia in puerperis tanquam pestis fugienda. *Bagl.* Feminæ parce menstruatæ, parca quoque experiuntur lochia. Lochia nimia sub syncope & convulsionibus sæpe interficiunt; Obstetricum violenta manus plurimum hic venit accusanda. Plura de his cap. de Uteri morbis ceterisq; ubi de hæmorrhagia

 uteri

uteri post partum. Lochiorum immoderata profusio repente cohibita, pestifera est; facile namque inflammationem, febrem acutam, gangrænam &c. movet: Signa in his venturæ mortis sunt veternus subanxius cum impotentia, sudatiuncula & fugaci extremorum frigore.

Lochia excedentia sibi relicta longe minora incommoda post se trahunt, quam incongrua arte cito cohibita. Lochiorum vices supplet diarrhoea, dysenteria, hæmorrhoidum fluxio, vomitus sanguineus, sudor largus; ergo diarrhoeas, dysenterias &c. puerperarum non semper periculosas habeto. Lochiorum fluxio secunda & quasi critica solvit cacochymiam illam humorum sub prægnantia contractam. *Boerh.* Si cum febre acuta lochia fluunt dolorosa, utplurimum uteri læsio à placenta vi evulsa subest, unde inflammatio, suppuratio, gangræna &c. In lochiorum ataxia semper quære de secundarum extractione, statu. *Heister.* Lochia remanentia colicam, uteri inflammationem sphacelumque, febres acutas, inflammatorias pluries inducunt. *Heister.* Lochia difficilius fluunt in feminis, quæ vasa habent exilia & habitum corporis spongiosum. Dolentibus mammis post partum lactis culpa, lochia supprimuntur sæpissime remittente mammarum dolore, lochia libertati restituuntur. *Bagl.* Rigor à quo cessant lochia, purpuræ puerperis periculosæ nuncius habendus. Quæ in puerperio moriuntur utplurimum ex retentis lochiis obeunt. Puerperæ si suppressis lochiis decedunt, sanguinis mole oppressæ pereunt, venæ-

venæſectione neglecta. Si retentis lochiis accedant ſummæ præcordiorum anxietates, animi defectiones, laborioſa & anxia ſpiratio, facile prædicas purpuram. Frequentius retinentur in illis, quæ difficillime peperere. Puerperæ ſi propter partum laborioſum ſiti adfligantur, & adſumant potum frigidum, vel aëri frigido ſe exponant, ſtatim lochia ſupprimuntur. In puerperis præſtat primis diebus alvum eſſe ſiccam, obſtructam, lochiis rite fluentibus, quam fluxam. *Waldſchm.* Lochia retenta in utero aliquando ſuppurant & per hypogaſtrium demum expurgantur femina ſuperſtite. *A. N. C.* Omnis fere diarrhoea puerperis eſt infeſta maxime in principio; ſed quæ lochiorum vices gerit, non delaſſat, nec cum febre eſt, melioris eſt eventus; in puerperis reſpice tranſitum materiæ excrementitiæ ab utero ad inteſtina. Diarrhoea cholerodes in puerperis, quæ ſub graviditate alvi erant obſtipatæ, facile evenit ex refrigeratione; libenter accedit uteri inflammatio, quin tenuium inteſtinorum, quod valde periculoſum; æſtus ſi ſub diarrhoea permaneat internus, malum eſt, & contra.

Purpurâ, licet optume ſuccedentibus exanthematis, vix liberantur ſecure puerperæ; niſi indivulſus futuræ ſalutis comes adveniat genitalium rebellior catarrhus i. e. fluor quidam albus, lochia ſecundaria ſive alba nuncupaveris, vel uberior coloſtri per ubera effluxus. *Comm. lit. Nor.* Purpura plurimum difficilius extractam ſequitur ſecundinam, vel lochia remanentia. *Werlh.* Situs erectus in purpura puerpearumr periculo-

 ſus,

ſus, & quandoque inopinato ſubitoque moriuntur. Uteri læſio à partu quandoque poſt multos demum ſe prodit annos. *Hoffm.* Placenta in utero relicta tempori quandoque committenda, viribus recuperatis, obambulanti iterum, ſine ullo incommodo excernitur. Placenta per annos in utero feminæ ſine putrefactione hærere poteſt, modo aër haut accedat; æque tunc fetus mortuus ad notabile tempus; exſiccatæ nonnunquam tarde excernuntur. Secundæ remanentes purredineque corruptæ, ſalva femina, ſemel iterumque aliquando excluduntur. Reſtitantes ſignificant uteri purgamenta cadaveroſe fœtentia. *Ruyſch. Comm. lit. Nor.* Hild. *Schacher.* Tremor qui ſupervenit muliebribus poſt partum ex retentis quibuscunque in utero eſt periculoſus affectus, ſubinde enim epilepſias letales infert. Secundæ improvide ac violenter extractæ fluorem album plus ſæpe inducunt. Febris lactaria maxime infeſtat quæ difficulter peperere, primiparas, cholericas; typum ſervat cotidianæ, tertianæ, intermittentis, vel in catarrhalem continuam tranſit cum vel ſine purpura; fit aliquando eryſipelatodea vel etiam inflammatoria; proniores tamen ſunt in continuarum quam intermittentium typum. *à Bergen.* Lactis præſentia non ſupponit puerperium. *Hipp.* Lactis abundantia ſæpe tollitur diarrhoea. Conſenſus magnus eſt inter mammas & uterum. Si mulier laborat ſcirrho, cancro mammarum, facile quoque talia geſtat in matrice. *Boerh.* Mammæ extenuatæ non facile augmentantur. *Foreſt.* Mammæ inflammatæ facilior eſt & felicior

licior suppuratio quam resolutio. *Boerh.* Mammarum tumor & inflammatio maxime in iis evenit, quæ lac habent acescens. Muliebribus quæ denso sunt corpore tardius apparet gigniturque lac; iis vero quæ rarum corporis habitum habent, citius. Si puerpera recens de dorsi dolore queratur, quære an nutrientia nimis capiat, uberaque lacte turgeant, negligenterque depleantur suctu ab infante infirmo. Hemicrania quæ interdum puerperium excipit, sæpius in cæcitatem terminatur. Singultus puerperarum multum alit periculi. Intumescentia abdominis post partum tandem in ascitem aliquando desciscit cum febre erratica necantem; Mesenterii glandularum tumor facile sese associat. *Vrat. hist. morb.* Tumor abdominis, figura varius, farciminalis &c., post partum, ubi inveteratus, est incurabilis. Recentem curatum vidi larga diarrhoea; altera vice, magna & longe pergente hæmorrhagia. Tumor genitalium post partum sanguineus libenter fit habitualis in sequentibus, facileque in gangrænam abit; si cum rupto perinæo, pejor est. Paralytodes post partum medicationi plurimum auscultat prudenti & tempestivæ. Uteri sphacelus est frequentissima mortis puerperarum causa. Si quando ob nimiam sanguinis post partum & in puerperio profusionem lentus cum pulsu frequenti & debili calor assidue urget, neque mane post somnum sedatur, & juncta inappetentia plenaria, virium dejectio, circa 6. septimanam, ni citius, syncope moriuntur. *Hoffm.* Puerperis febre acuta labo-

rantibus vel imminente morte vel poſt illam brevi ſanguinem è naribus prodire, crebro accidit. Puerperis acute febrientibus, purpura potiſſimum, ſi ſub exacerbationibus cruor pro lacte mammis liberaliter fluat, lacteus humor ſub remiſſionibus finito morbo, & alvus dilutule fluxa erit & genitalium rebellior catarrhus adfliget. Puerperæ febricitantes facile fiunt epilepticæ. Puerperis febre continua correptis ſi ſuperveniat dyspnoea, ſemper periculoſum, ac magna ex parte moriuntur. *Waldſchmidt.* Plurimæ ex puerperis integra mente mori ſolent, quod multos fallit, ſed noſcito ex pulſu. Urinæ incontinentia à partu eſt malum moleſtiſſimum & plerumque per medicamenta curatu difficillimum, magis adhuc, ſi ex veſicæ in vaginam uteri perforatione; ubi cum laceratione ſphincteris veſicæ excreſcentiæ fungoſæ facile accedunt. *A. N. C.* Maniam, melancholiam metuendam ſignificant lochia retenta, auditus gravis, non coercenda dormiendi cupedo, ſomnia fatua, faciei rubor immodicus cum garrulitate, anxietas, cordis palpitatio maxime quidem ubi accedit hæreditaria diſpoſitio. Tertianas remittentes pluries ſimulant. Difficilia ſunt, ſed non cito perniciofa. Abeunt facile in tabificas cum fatua inertia ad mortem usque. Vaga melior ſtata. Citiſſime, quæ aſſidua, tardius, quæ remittit, mutatur, longiſſima eſt, quæ intervalla habet. Excipere poteſt epilepſia. Quæ ſerius à partu adoritur, diuturnior. Mammarum inflammatio & abſceſſus auxilio eſſe queunt. Minuunt, auferunt malum redeuntia

tia lochia, repetentia menſtrua, hæmorrhoides, dyſenteria modica, viri conſuetudo fœcunda, quartana, tumor dolorque artuum cum febre ac urinis turbidis. *Jo. Juſt. de. Berger Diſſ. Goett. de Puerper. man. & melanch.*

Pernio.

Si in pernione cutis finditur ac exaſperatur; mali moris ulcera fiunt. Si congelatio magna facta, ſubito admiſſo calore, regelatur membrum, ſphacelus ex facili ſupervenit. Gangræna à frigore inducta tum imminere ſuevit, quando derepente acutus dolor pungens & urens partem invadit; ruber, micans in lividum colorem abit, & poſtea torpor cum ſummo frigore obſervatur. Semper hæc periculoſior, quam quæ à cauſis calidis.

Petechiæ.

Genius hujus morbi, ut aliorum acutorum, non ſemper unus idemque eſt. Ex lingua & reſpiratione hoc in malo certiſſimæ ſumuntur prognoſes. Maculæ erumpunt 4. 7. die, durant 3. 4. 5. dies, & febris 7. 11. 12. remittit die. Duratio morbi omnis eſt ad dies 17.--- 24. Febris petechialis quo magis ſymptomata diſſimulat & inſidioſe procedit, eo gravius periculum minatur. Petechiæ contagioſæ ſunt & epidemicæ, admodum periculoſæ.

Plus

Plus moriuntur quam evadunt. Quo tardius erumpunt (d. 7.) eo melius; quo citius, eo magis vagæ & periculoſæ; nimis copioſæ, mortiferæ. *Stahl.* Si petechiæ poſt 7. d. ſine levamine erumpunt, purpura alba ſubeſt, ſi hæc triduo poſt vel ſerius apparet, iterum boni quid ſperari poteſt. Hic poſthæc diarrhoea utilis eſt. *Stahl.*

Exanthemata ſunt ſimplex accidens & ſymtoma, nec critici quid, nec ſalutis ſpem faciunt. Purpura ſimul una cum petechiis efflorescens, non ſemper letum infert. Maculæ quo magis rubellæ, floridæ ſunt, eo melioris notæ, & contra coloris lividi, plumbei, ex atro-viridescentis, ſphaceloſam corruptionem arguunt. Ingens periculum, ſi recedant. Melius eſt, ſi in pedibus, cruribus, natibus & lumbis apparent; pejus, ſi circa ſcapulas, dorſum, anteriorem pectoris & ſterni partem, in facie. *Roboret. de febr. pedicular.* Illi ægri, qui notabilioribus capitis doloribus adficiuntur, communiter minus periculoſe decumbunt, quam iſti in quibus nullus, inprimis in capite, ſenſus obvenit moleſtus. Qui bene conſtantes mente nil queruntur niſi laſſitudinem, inappetentiam, ſomnum nullum aut levem, periculoſe ægrotant. *Carl.* Periculoſa ſigna: Urina largior; lethargus; ſingultus; ſi in facie apparent; hæmorrhagia cum ſymptomatis gravibus &c. Letalia ſunt ſigna: dejectio animi irrationalis & continuus mortis metus; lypothymiæ frequentes à primo morbi inſultu; largius lotii profluvium; dolor bulbi oculorum

ſine

ſine omni ὀφθαλμίᾳ; ſingultus ab initio & circa ſtatum; coma cum frigore extremorum & ſtertore, hiante ore; tumores capitis & artuum; urina atra in principio, licet mutata in declinatione in meliorem; ſitis vel nulla vel non ſedanda; ἀφθαι; angina; lingua nigricans, fiſſa; oppreſſio pectoris perſiſtens; delirium poſt ſudorem vel alvi fluxum ingravescens; convulſiones, cardialgia in ſtatu; vomitus in fine morbi; livores in dorſo circa ſtatum & in principio ipſo; ſudores regimine coacti, vel in ἀκμῇ pertinaciter repreſſi; refrigeratio, ex qua facile ἀφθαι periculoſæ &c. Circa fauces non tumentes irritationes doloroſæ phrenitidem ſignificant letalem. Non facile his in morbis quispiam decedit, cui ſaliva & ſputum liberius fertur. Lacrymæ, ſurditas non adeo ſtabile, ptyalismus infallibile ſanitatis prognoſticon. Criſis fit per ſedes; ſudores largos fœtidos non coactos; ſalivæ viscidæ uberiorem rejectionem; tumores, parotides, ſimul urina ſudoreque bonis; abſceſſus in partibus ignobilioribus; purpuram; urinas; icterum; ſomnolentiam unius vel plurium dierum; vermes multos excluſos; rariſſime per hæmorrhagiam. *Hoffm. Stahl. Hiſt. morb. Vratisl. A. N. C. Weitbrecht de febr. conſt. petech. Petrop.* 1735. *graſſ.* Per abſceſſus quandoque evadunt ægrotantes, de acuto in chronicum mutato morbo. Ictero, ſudoris ad inſtar, non pauci liberantur, poſt 7. diem apparente. Hæmorrhagia extra dies criticas cum incremento delirii, ἀφθας prædicit; quæ vero præpoſteram excipit venæſectionnm aliquando

libe-

liberat à malis per iſtam inductis, ut delirio, ſoporoſis affectibus, angina. Delirium maxime terreat poſt 7. d. antea non æque graviter. Diarrhoea in principio ambigui eventus eſt, in ſtatu & declinatione ſalutaris, nec exanthematum retroceſſio ex ea timenda. *Stahl.* Maxime facit circa vel in diebus criticis, à 7. ad 14. Alvus adſtricta omni tempore nocet, hincque faciles ſunt hæmorrhagia, delirium, αφθαι, angina, ſique hæ binæ poſteriores inoleſcant, funeſtum. Alvus involuntaria pluries plus terriculamenti adfert quam terroris veri. *Weitbr.* Urinæ ſedimentum hoc in morbo eſt lacteoroſeum, levi flavedine pallens, vitrumque, in quo eſt, alba cuticula imbuit. Ægri ex hoc morbo notabiliter contabeſcunt, ſuperato autem iſto brevi rurſus carnes recipiunt.

Phlegmone. Abſceſſus. Gangræna. Sphacelus.

In Phlegmone ſive inflammatione iſta, quæ externas corporis ſedes infeſtat, periculum majus eſt quam in eryſipelate atque abſceſſu. Cachecticis atque ſenibus fere ſemper funeſta evadit. Putredo aliquando ſine inflammatione oritur. Inflammationi tumorum, vulnerum, ulcerum ſuppuratio præſidium eſt. Circa generationem puris dolores, & febres notabilius accidunt quam iſto abſoluto. Abſceſſus de levi in ulcus mutantur ob inſanam medicationem. Abſceſſus glandularum facile in profundum

dum tendunt, atque ex perverſa cura in mali moris ulcera migrant, *Platner*. Abſceſſus muſculorum abdominis ſæpenumero eveniunt ex iſchiade diuturna. Suppuratio ſuperveniens ſphacelo, optimum ſignum. Abſceſſus ſalutaris & optimus eſt, qui poſt ſigna coctionis; debitæ magnitudinis; in loco idoneo, remoto, declivi ac capaci; non valde exquiſiti ſenſus; qui citiſſime ad ſuppurationem pervenit; qui maxime ad exteriora egreditur, in acumen elevatur ægrumque ſublevat, & contra, inprimis qui ad interiora vergunt vel intro rumpuntur. Abſceſſus in ulceris indolem verti noscas, ſi eorum ſuperficies pallescit, livescit, prurigi-noſo ardore moleſtatur, ſaniem decolorem, tenuem exhibet. Abſceſſus externi refractarii & rebelles de abſceſſibus internis, alicubi delitescentibus haut fallax ſæpe præbent indicium; & hi illis emergentibus ſæpe ſolvuntur, v. g. lienis, illo inguinis, epatis, illo crurum &c. Magnæ & diuturnæ ſuppurationes, æque, ſi pus non emittitur, vel ſuppuratio cohibetur, ſæpe cacochymiam, φθίσιν, hecticam, relinquunt. A ſpinali medulla compreſſa fit paralyſis, gangræna. Quæ à cauſis internis ſemper pertinacior eſt quam quæ ab externis. In externis ſedibus aliquando ſuperatur, in internis ſemper eſt letalis. Gangrænam ſtare & pus inter id, quod vivum ac emortuum eſt, moveri, nunciat cruſta, quæ compreſſior fit ac contractior, oræ autem ulceris circa cruſtam, quæ intumescunt, rubent & pure madent, dicunt. *Platner*. Si inciſis puſtulis humor effluit

P in

in gangrænoso membro limpidus, pallidus, spes manet; si vero is cruentus, flavescens, malus est; pessimus, si lividus, subniger, fœtidus notabiliter. Mortis indicium, ubi circa ulcus omnia arida fiunt ac nigra. Siphylitico veneno inquinatum corpus aggrediens gangræna, plurimum fatalis est. Nulla gangræna leviter terrere debet, semper enim in sphacelum mortemque tendit. Curabilis, quæ modo orta est ac nondum plane tenet. Curationem non admittit, quæ integram manum pedemve ad corpus usque occupat; quæ stipata febre acuta, vomitu, syncope &c. Periculosissima est, quæ intus incipit; quæ ex humorum vitio, v. g. in φθίσει, hydrope, scorbuto, vel defecta virtute vitali oritur. Perniciosissima est ex morsu animalium, quæ virus habent, potissimum cum nervo icto; totum corpus in hoc casu fit icteritium, junguntur syncope, convulsio, spiritus angustia &c. *Platn. Schelhamm.* Aliquamdiu aliquando gestantur gangræna correptæ partes impune, sine ullo motu & sensu existentes, citra corruptionem vicinæ; idque maxime quidem, si ex frigore, vel per metastasin inducta fuerit. Senes sæpe unica die pereunt, interdum pluribus juvenes. *Hild.* Si in parte gangrænosa vehementius agitantur arteriæ, gravius habet periculum. Quamdiu in gangræna adhuc sensus ac rubor cum calore adest, tamdiu aliqua spes avertendi sphacelum superest. Gangrænam artuum lentam in Galliis ex secali cornuto anno 1710. popularem *Ac. Sc. Reg. Paris.* commentatur. Sphacelus gravior restitui non potest, nilque aliud superest, quam miserum

ſerum unicumque auxilium, ut quo cetera pars corporis tuta ſit, quod mortuum eſt, abſcindatur. Si in ſphacelo partis defectus ſenſus & motus prius ſe exſerit quam ejusdem actualis corruptio, curatione feliciter cedente, ſenſus illi ac motus quoque redibunt. *Carl.* Sphacelus à cauſa interna ſponte emergit, familiaris cachecticis, ſenibus, ſcorbuticis &c. Malum eſt chronicum magis, lentoque gradu interficit. Naſcitur quoque in à nimia venere invalidis. Incipit plerumque ab extremis artubus pedumque digitis. Nonnunquam ſuperveniente febricula celerius ſerpit, vel conſiſtit moto pure inter illud quod vivum eſt & quod emortuum. *Platn.* Sphacelus loca carnoſa non alte occupans, v. g. nates, femora, &c. valentioribus remediis adhuc aliquando cedit.

Phrenitis varia.

Delirium ex vulnere, dilaceratione, contuſione, corruptione oſſis, perioſtii, aponevroſeos, tendinis &c. judicii rationem habet in natura læſionis & ſubjecti. Inflammatio meningum poteſt eſſe ſine delirio. Ex deliriis ea minus mala cenſenda, quæ mitia leviaque ſunt & non perpetuo ægrotos tenent, ſed parvo tempore atque cum bonis ſignis vel ſaltim non letalibus perdurant.

Delirium leve ac facile tranſiens inſtante criſi & abſentibus aliis ſignis ſuſpectis nullum periculum habet, quoniam ſublata cauſa per

crisin, tollitur effectus. Delirium circa naturalia, sueta & necessaria, malum. Deliria, quæ circa initium morbi apparent, magis periculosa. In febre continua leniter delirantes, si profunde respirent, fiunt phrenitici. Surditas non sequente narium hæmorrhagia delirium portendit; surditati vero succedens delirium, malum; post delirium surditas, mali solutionem indicat. Desipientia levis paulisper ascendens, abit in furibundam phrenitidem. Desipientiæ cum vigiliis, sopore, convulsiones minantur. Deliratio quæ cum risu, gestu jucundo fit, tutior, præcipue si superveniat fluxus hæmorrhoidalis, quæ vero studio adhibito, periculosior. *Hipp.* In morbis complicatis delirium conjunctum ventriculum pro parte primaria affectum ostendit. *Bagl.* Ex insania in raucedinem cum tussi fit secessio. Insanientibus accedens convulsio oculorum aciem retundit. Vehementes mentis emotiones fientes absque quiete, spiritum efflantes, perniciosæ; diuturnæ fiunt partium resolutione; alvi perturbatio si his ingravescentibus adest, nigra ad judicationem prodeunt. Desipientiæ cum voce stridula, tremula & linguæ convulsione tremula, vehementiam morbi indigitant. Vehementi insania detenti, tremuli cum crebra sputatione, metus est, ne phrenitici evadant. Dementes obscure, ut vix desipere videantur, phrenitidis metum habent. *Hipp.* Desipientiæ, quæ jam admodum fractis & debilitatis viribus succedunt, pessimæ sunt. Facile phrenitici fiunt ad pnevmonicas febres dispositi. Phrenitis vera raro d. 7. transgre-

greditur. Omnis phrenitis eſt cum vitæ diſcrimine. Ni ante 4. d. ſtaſis diſcutiatur, ſphacelus meningum facile ſuccedit; ſi forte 7. d. tranſierit, ſæpe migrat in affectus ſoporoſos, maniam chronicam; mutatur aliquando in lentam, hecticam. Malum, ſi abit in lethargum, non ita, ſi lethargus in phrenitidem. *Bagl.* Aliquando phrenitidem ſequitur tertiana intermittens ſoporoſa. Phrenitidis metum notant bulbus oculorum immobilis & quaſi ſaxeus; dolor in bulbis, maxime in principio febris mox; oculi fulgidi, ignei quaſi; oculi audacia; ab homine ſedato ferox reſponſum, à feroci ſedatum; garrulitas in taciturno, ſilentium in garrulo; præter conſuetudinem facta & geſta; petitorum momentanea oblivio; lacrymarum fluxus largus in non ſuetis; vigiliæ continuæ; ſomni turbulenti cum aurium tinnitu vel ſibilo; turgescentia vaſorum faciei, temporalium pulſatio; exquiſitior occipitis dolor inprimis cum excretionum naturalium diminutione; vomitus æruginoſi cum capitis doloribus aſſiduis ac ſurditate; ſtridor dentium; pulſus celer & durus; hypochondria ſuspenſa; pulſus hypochondriorum cum frequenti oculorum obtutu & ſignis ariditatis in lingua; lingua denſa, nigra, exuſta ſine ſiti, tremula; manus tremulæ, inveſtigantium more palpantes; dolores ad ſuras; urina prius tincta, ſimul & ſemel, ſubito prorſus ▽ea facta; reſpiratio magna & rara; urina ſubjugalis cum vigiliis, capitis dolore, lingua arida, ardore viſcerum; nubecula circuli modo evecta juxta lotii ſuperficiem;

ficiem; surditas non sequente hæmorrhagia; si æger quod non suevit alias, in ventrem jacet; contractio frontis; corporis jactationes & incontinentiæ cum perfrictione ac superiorum partium tenui sudore. *Hippocr. Cels. Hoffm. Boerh. Bagl. Stahl.*

Salutem promittunt, criticis diebus cum signis coctionis, eveniens narium hæmorrhagia larga; hæmorrhoidum fluxio; menstrua purgatio sufficiens; vesica *αιμοῤῥοουσῃ*; urina sanguinolenta, cocta, cum multo sedimento; alvus cruenta, fluxa; sudor largus cum somno; dolor vehemens, assiduus extremorum; parotides suppurantes; pus vel sanguis per os & nares expurgata; ubi delirium somnus sedat &c.

Phreniticus si perfrigescat simulque crebrius sputet, vomitus nigrorum consequetur, & interdum non sine magno levamine, si alia respondent. Intestinorum difficultas vel aqua inter cutem à furore, bonum. Quæ in phrenitide memorantur insomnia, bonum denunciant. Si post phrenitidem aut gravem alium capitis morbum surditas succedat, priori morbo cessante aut allevato, bonum. *Hipp.*

Mortem minantur urinæ aquosæ; vomitus æruginosus; malum semper accrescens; sublimis spiritus; singultus; stridor dentium; tremor manuum, linguæ, dein convulsio; albicans dejectio; tendinum subsultus cum sudore gelido; *αφωνια*; fecum & urinæ inscia dejectio; coma, quo excitati, si linguam tremulam protendunt; syncope; frigus frontis, manuum, pedum, alvo, lateribus simul valde calidis;

dysu-

dysuria, ischuria; in incremento icterus cum excipiente lethargo; rigor adjunctus maxime in ἀκμῇ, potissimum cum albis fecibus & sopore, facileque pnevmonicam annunciat; si cum notabili oblivione, ignavia & stupiditate; si cum silentio absque ἀφωνίᾳ; cervicis dolor terrificus; ubi ab ileo, hæmorrhagia, peripnevmonia, variolis; subitaneæ resipiscentiæ febre acuta perseverante & nulla crisi prægressa; facies cadaverosa; stillicidium narium &c. *Hipp. Boerh. Alpin. Hoffm. de Berger.*

Paraphrenitis non tanti & tam præcipitis est periculi quam phrenitis. Vel discutitur criticis sudoribus v. g.; vel per metastasin fiunt parotides, surditas, arthritis, erysipelas; vel corruptione intra dies 7. ad 14. necat. Hypochondriacos & melancholicos invadit facilius. Pluries nascitur ex hepatitide. Delirium continuum, risus Sardonius, hypochondriorum intro-sursum revulsio, simul sumta, pathognomonicum paraphrenitidis sunt signum. Dolores intolerabiles, perpetui, tendineam diaphragmatis partem affici significant, & si in horas increscant, letale erit. Ascitem purulentum, empyema quandoque relinquit. *Boerh. Schulz. Juncker.*

Phthisis.

Inter chronicos φθίσις duos fere trientes jugulat. Metum φθίσεος junctim creant frequens destillatio in corpore tenui, longaque;

 hor-

horror subinde incidens cum dyspnoea; anxietas cordis & interdum cum palpitatione; tussis sicca; appetitus dejectus; macredo inprimis in manuum carpis; febricula continua; sputa globosa, rotunda, grandinum instar, diuturna, licet sine febre (*Bagl.*); morbi prægressi, v. g. hæmoptoë; jus hæreditatis &c. Omnis φθισις præsupponit prægressam inflammationem pulmonis, sine hac enim non fit pus, ergo sæpe sequitur pnevmonicas febres, inprimis ex neglecta V. S. Ab anno 18. plurimum, raro post 36. obvenit. *Hipp.* Juvenes qui in pectore pus colligunt, nisi multa admodum bona signa assecuti fuerint, minime evadunt. Contagiosa est φθοη, atque circa æquinoctia exacerbatur; autumnus maximopere exitio esse solet. In ad φθισιν dispositis catarrhosæ defluxiones malæ. Dispositi sæpe liberantur fluxu sanguinis critico, v. g. è naribus, sedis vasis. Ne confundas tussim chronicam cum copiosa phlegmatis ejectione atque φθισιν. Hæmorrhoidum molimina ad pectus contingentia; arthritica conamina, podagrica potissimum, cum rejectione pituitæ viridescentis, puris instar, curiosis Clinicis non ignota; purpura pariter scorbutica remanens incautis plus sæpe φθισιν imponunt. Si feces albescunt, mesenterii glandulæ simul sunt infarctæ. Strigosi plures, etiam ad orci fauces propemodum redacti, appetitu laudabili multoque cibi ditantur. Rejectas vidi vesiculas pure plenas, bronchia notat exscreata *Forestus.* Sæpe gignitur à tuberculis pulmonum crudis, exque facili hoc. Termina-

minatur pluries in empyema fatale. Urina phthisicorum, licet brunna & fusca, ad hydrometriam levior tamen semper est illis sanorum aut aliis morbis adfectorum. *Comm. Llit. Nor.* Phthisici diu supervivere possunt & non raro senescunt, si ulcus in pulmone habeant callosum sive fistulosum, quasi fonticulum, cum cotidianis sputis; bene tales comedunt & respirant ac medio corporis habitu perstant; contra, si ulcera sint serpentia, vel exspuitio haut bene procedat. *Willis.* Tamdiu phthisici vivunt, quamdiu extussire ac per sputa pulmonem expurgare possunt. Malum confirmatum nunquam curatur; qui id fecisse jactitant, hecticos tractarunt, vel catarrho rebelli detentos. Hæreditaria omnium pessima, nec curanda nisi cum præcautione hæmoptoës. *Boerh.* Φθισις ab hæmoptysi per vim externam inducta ceteris levior. Phthisis in qua subito rumpitur vomica cum sputis bonis, difficulter quidem, tamen sanari potest. Quæ ex interceptis hæmorrhoidibus ac menstruis, ubi nondum contracta labes in solidis notabilis, iisdem restitutis, bonam spem relinquit; sed iisdem fere, nisi redit sanguis, vomica erumpit, quæ, quo cruentior, eo melior est. Solvitur aliquando phthisis abscessu pectoris (*Vater.*) vel tumore in collo non multum à scrofulis abludente, exorto. *Sydenh.* Salutis spes est si abest hæreditaria dispositio; calor sit mitior; appetitus ciborum salvus manet; respiratio libera; sputum unius coloris, album, sine pituita, æquale, rejectu facile; si alvus compacta; vires constant; tussis rarior;

 sitis

ſitis non urget; urina copioſa; vox ſonantior; ſomni longiores, reficientes; dolor ad ſcapulas tranſit. *Hoffm. Boerh.* Funeſta prognoſis: Calor hecticus magis magisque increscens cum pulſu etiam mane citato, corporis contabescentia viriumque lucta; ſi ſputa in aqua ſalsa fundum petunt; ſumma ſpirationis cum metu ſuffoçatus difficultas; capillorum defluvium; odor cadaveroſus ex ore; vox raucida; dolor urens cervicis, interscapularis; ſudores, diarrhoeæ colliquativæ; œdematóſus pedum tumor cum dolore quodam; anxietates acerbæ, fere continuæ; animi deliquia; αφθαι; brachii, manus, unius vel alterius, tumor œdematoſus; ſputum graveolens vel ſaporis aluminoſi, vitriolici, inſtar piscium putridorum, carbonibus injectum tetre olens; rubor fixus genarum; præcordia in tumorem ſublata; rigores ſub conſummato malo repetentes; expectoratio ſuppreſſa, mente dum ſana ægri, tandem vitæ finem facit, ubi maxime gangræna accedit, ſæpe in coccyge vel pedibus obveniens, ac pulmone ipſo, unde ſputum ichoroſum.

Tria mortis certiſſima ſigna ponit *Hollerius*: ſputum graviter olens, capillos defluentes, alvi profluvium. Anceps ſatis fallaxque in hoc morbo noviſſimus vitæ articulus eſt. *Lomm.* Phthiſis plerumque eſt letalis, ubi pulmones pleuræ accreti. *Bennet. theatr. tabid.* Non omnes, qui phthiſi pereunt, ſemper ſanguinem exſpuunt. Inducitur aliquando à vitio humorum univerſali. *Barthol.* Moriuntur ſenes tacite ex virium collapſu; juniores ſub febrili motu inflam-

flammatorio. Finitur ſæpe phthiſis apoplexia, cerebro illæſo, ob fœtidiſſimam putrilaginem, cerebro infenſiſſimam. Qui pertinaci raucedine laborant, hectici moriuntur anno vix elapſo. *Bagl.* In phthiſicis ſi dolor vehemens lateris derepente ſubveniat, brevi delirabunt, febris magna accendetur, & paucis poſt diebus moriuntur. *Bagl.* Talisque tabes oritur infallibiliter à connexione p. n. pulmonum cum coſtis. *Dodon.* Sputorum retentiones in tabidis mentem ad delira verba commovent. *Hipp.* Pulſus contractus, debilis, vermiculans; puſtulæ rubræ in corpore, maxime circa collum in noviſſimis ſunt. *Lomm. Boerh.* Tabidi ex apoſtemate vel ulcere interno poſt iter avide, viribus collectis omnibus, ſusceptum, pluries brevi poſt ſuffocati extinguuntur.

Phthiſis nervosa eſt morbus revera chronicus & niſi in ipſo principio, curatu difficillimus; terminati ſolet in tumore hydropico incurabili. *Morton.*

Pleuritis. Peripneumonia.

Sanguis, ſerum, cacochylia, flatus, bilis, vermes pleuritidem creant. Semper videndum, an febris ſit eſſentialis, an ſecus? Corpora laxa facilius laborant quàm rigida & exercitata. *Hipp.* Pleuritis & peripnevmonia cotidianæ remittentis genium imitari ſolent; aliquando tertianæ continuæ. *Aret.* Ardentius vini deſiderium in multis pleuriticis obſervari ſolet,

ſolet, ex quo pleuriticos in anteceſſum ſuſpicantur. *Alpin.* De morbis pulmonum noli cum jactantia diſſerere vel facilem promittere curationem; & nulli pectoris morbi floccihabendi, quia multis ne opinantibus quidem, fiunt exitio. *Bagl.* Rigoriferæ ſunt veræ inflammatoriæ pleuritides. Pulſus durities eſt ſignum fere infallibile omnium pleuritidum, etiam obſcurarum ſive latentium. *Bagl.* Sed quoque inſuper habeto, quod in morbis pectoris nil citius à naturali recedat ſtatu quam arteria ſeu pulſus. Ex reſpiratione certius præſagium quam ex pulſu eſt. Mollities pulſus alios comitatur pulmonum morbos; quod eſto inter ſigna diſtinctiva morborum pectoris difficillime cognoscibilium. Inæqualis quoque familiaris eſt pulmonum morbis. Pleuritides crudas ſive ſiccas ſignificant rubores fugaces genarum, paucus dolor, jactatio, ardor viscerum, ariditas linguæ &c. Difficiles eædem ſunt & pernicioſæ. *Hippocr. Bagl.* Pleuritis in ſiniſtro latere plus periculi habet quam in dextro, citius autem maturescit ac ſolvit. *Lomm.* In pnevmonica febre ſæpius ſtomachus, (quare *Storch. in med. Jahrg.* tumorem in cordis ſcrobiculo pleuritidi pluries ſocium forte notavit) mediaſtinum, diaphragma ſimul inflammantur, ſuppurantur, unde quandoque vomitus purulenti ſalubres in hisce. Pleuritides ex dorso ſunt pleuritides ſymptomaticæ rhevmatismi acuti. Omnis dolor lateris cum febre fugax, malignus eſt & eryſipelatodes, & fere necat. *Ballon.* Quibus pulmo totus una cum corde inflammatur, ii toto cor-

corpore nervorum resolutionem sentiunt, ac sine sensu jacet æger frigidus, secundo autem vel 3. die perit. Pleuritides facile recidivant, eæque fere semper sunt letales. *Hipp.* Interficiunt pleuritides præfocatione, magnis symptomatis, accedente peripnevmonia, phrenitide, tabe, syncope &c. Solvitur morbus in principio resolutione benigna; Die 4. 7. 9. 11. 14. coctione ac excretione, uti sputis; abscessibus pone aures, in umbilico, alis, ad crura; pustulis miliaribus; ictero; diarrhoea (maxime biliosa & ingluviosa); menstruis; hæmorrhoidibus; hæmorrhagia; sudore; urinis; mictu cruento; οφθαλμια &c. & quod semel novimus, catalepsi quoque. Salus optima pleuriticorum ceteroquin est, inflammatione non resoluta, in expectoratione, quæ primaria crisis est pectoris morborum. Dies 7. & 9 omnibus magis periculosi sunt. Omnes pleuritici, qui vomunt statim in principio morbi, evadunt. *River.* Alvus & vesica αιμοῤῥουσα pleuriticis nonnullis, si alia respondent, secundi ominis esse potest. Quibus in interiora auris dolor & hinc abscessus, parotides, fiunt, sanantur. *Hipp.* In pulmoniis vehementibus quicunque abscessus fiunt ad cura, brachia, optimi sunt, inprimis, quo facilior sit anhelitus. Optimi autem sunt illi ad crura abscessus, qui fiunt sputo mutationem subeunte; quodsi sputum neque recte excernatur, neque urina bonam subsidentiam habere videatur, periculum est, ne articulo claudicet æger, aut ei multum negotii exhibeatur; si vero dispareant abscessus & intro recurrant,

rant, ſputo non prodeunte, ac detinente febre, gravis morbi periculum & delirii & mortis ægro imminet. Quibus poſt V. S. dolor laterum in claviculas, manus, omoplatas vel dorſum propagatur, rariſſime vel nunquam hinc moriuntur. *Boerh.* Cruſta alba in ſuperficie ſanguinis extracti bonum. *Bagl.* Si ſanguis è ſecta vena non recto flumine verſus horizontem proſiliat, ſed per cutim repens perpendiculariter dimanet, neque pleuriticorum colore æmulatur idem, neque æger felix hinc capit commodum. *Sydenh.* Narium hæmorrhagia, hæmorrhoidum fluxus incidunt cum ευφορια circa diem 4. 5., contra, ſi poſthæc cruor ater manet vel è nare vel ſedis venis. Sanguinis è naribus ſtillatio, mala. Alvi fluxus non nimius, d. 5. 7. 11. 12. ſalutaris eſt, ejicitur materies purulenta vel biliosa vel ingluvies; licet petechiæ adſint. Alvi fluxus bilioſus, flavus, copiosus ante 4. diem cum levamine accedens, ſecurus. Ructus acidi ſupervenientes pleuritidi ſalutares. *Hipp.*

Strepitus ille infelix in pectore pleuriticorum vel index eſt ſanguinis in arteria pulmonis ſubſidentis vel denuntiat inflammationem in absceſſum abiiſſe. Evenit frequentiſſime d. 8. 10. ambiguæ ſalutis fereque desperatæ teſtis. Ex ſitu hi erecto ſubito præfocantur fereque apoplectici moriuntur. Urina bona, pulsus bonus, ſputum malum, peſſimum.

Perniciem minantur ſi ſupervenit pleuritidi peripnevmonia, æque ſi illa in σπασμον vel τετανον vertitur; ubi aſthmaticis pleuritis vel peri-

peripnevmonia accidat; si oculus auriginosus & caliginosus fiat; si jungatur ischuria, dysuria; si erectum velint situm cum mala respiratione, licet cum pulsu bono; si ex ulcere tibia siccato, ni recrudescat idem; sudor largus, crebrior alvi fluxus statim ab initio & extra dies criticos; pulsus parvus, durus & celer; si phrenitis accedit; si morbus dorso inhærescit; si sputum nullum aut malæ notæ; si tremor, delirium, convulsio à copioso screatu &c. *Hipp. Bagl. Boerh. Hoffm.*

Si pleuritici non repurgari incipiant quarta die, sed febris augeatur cum aliis symptomatis, nec non magna spirandi difficultas cum stertore superveniat, 7. d. moriuntur; in his pedes tumefieri solent ante mortem & oculi caligant. Perperam agitur cum iis pleuriticis & peripnevmonicis, qui nihil exspuunt, nisi copiosæ effluant urinæ. *Hipp.* In suppuratione pulmonis non expurgata hypochondrii tensio superveniens opinionem facit abscessus cruralis. Ex pnevmonicis suppuratis fere seniores plus moriuntur, ex ceteris suppurationibus juniores potius. Qui pleuritide laborant, nisi intra d. 14. superne repurgentur, iis in suppurationem fit morbi translatio. Si pleuritidi succedit abscessus sive suppuratio, computandum ab illo tempore, quo primum quis riguit. *Hipp.* Suppurationem sive abscessum fieri scire licet, si intra 14. d. sputis morbus non depurgetur; sputum non allevet dolorem, tussim, dyspnoeam; si febris dolorque manent; si nulla alia incidit solutio per alvum, urinas &c. si horrores intercur-

currunt; si cum nova insolitaque gravitate pectus oneratur, sitis crescit; si tussis vexat plurimum inanis, spiritus admodum difficilis est; & nullæ tamen exitii notæ sunt inter hæc. Malo forte in vetustatem incidente, oculi fiunt cavi, malæ rubent, manuum ungues adunci evadunt, digiti vero incalescunt, pedes tument, cibi cupedia perit, pustulæ toto suboriuntur corpore. *Hipp.*

Abscessus solvitur per alvum, urinas, per sputa vel screatum quandoque simul & semel factum seu incidentem, vel successivum, rupto eodem ac effuso pure in trachæam. Et in tali casu apostema sanabile erit. Plura legas infra de Vomica. Ruptio vomicæ ex pnevmonica febre fit plerumque intra 20. dies, aliquando citius, aliquando tardius ad 60. usque. Sputum bonum habe quod copiosum seu multum ac in die decretoria ejicitur; quod leve, æquale, facile eductu, album, flavum, cruentum, pallidum, permistum, idque non in statu sed augmento intra d. 3. & 4. minus tutum tardius. Quæ intra 5. diem dum coctionem accipiunt, colorantur, meliora censentur.

Malum est sputum impense quod fœtidum; quod fere nullum (nisi copiosæ effluant urinæ); quod non juvat; quod candidum, glutinosum, viscidum inprimis cum raucedine, rotundum; ab initio valde cruentum; à primordio mox livescens; ultra d. 7. flavum; sincerum flavum albumve; ex virore pallescens; spumosum valde; fuscum, biliosum, cœnosum, amurcosum,

ſum, nigrum, non permiſtum, æruginoſum &c. Quibus circa initia in totum purulentæ ſunt ſpuitiones, ii die 3. vel 5. moriuntur, quod ſi ſuperent, nec longe melius habuerint, 7. aut 9. aut 11. ſuppurati ſunt. Si pleuritis vel peripneumonia cum febre vehementiſſima incipit, tertio die necat pulmone facto gangrænoſo. *Boerh.*

Symptomata vehementiſſima, dolor maxume, ſubito ubi ſine cauſa ceſſant, manente febri, quin aucta, cum malo pulſu, reſpiratione celeri parvaque, frigido ſudore, gangræna adeſt, inprimis ſi ſimul lividus thoracis color. Sanata pleuritide ſi remaneat tuſſicula quædam & circa vesperam calor blandus per totum excitetur, aut recidivam aut ſuppurationem præſagias. *Aret.* Plurimum dyspnoea pleuritidem ſequitur. Lateris dolor cum ſputis biliofis ſi absque ratione evanuerit, oculi perturbantur, ægerque in furorem agitur. Si morbo declinante abdomen à flatibus nunc intumescit nunc detumescit, bonum; ſanantur enim utplurimum, idque circa diem 10. communiter obſervavimus, verba ſunt *Baglivii.* Pleuritis bilioſa per morbum regium intra dies 14. ſanatur perfecte, æque diarrhoea bilioſa. Eâdem ingluvioſa & ex apparatu pravorum humorum in primis viis tollitur.

De pleuritide prædicta plurimum valent & de peripnevmonia. Peripnevmonia eſt ſemper valde periculoſa; plus periculi quam doloris habet. *Celſ.* Ex angina ſi eſt, intra 7. d. occidit, aut transmigrat in tabem. Peripnevmo-

niæ in ſanitatem itio ſperari non poteſt, niſi levis tantum ille morbus fuerit, i. e. inflammatio tantum in arteria bronchiali hæſerit, vel in parva tantum parte arteriæ pulmonalis. In peripnevmonia ſi febris, tuſſis & reliqua ſymptomata d. 5. exacerbentur, ſeptimo aderit mors; ubi ante 4. diem levamen ſymptomatum non percipitur, reſolutio non ſperanda ſed ſuppuratio ſuccedet.

Decubitus in inſanam partem cum moleſtia, in ſanam facilis, ſenſus punctorii doloris non cum pulſu ſed cum reſpiratione incidens, dolor compreſſione ingravescens, invaſio non cum rigore facta (*Hipp.*) declarant præter alia pleuritidem notham ſive ſpuriam. Frequens eſt hypochondriacis, hyſtericis, hæmorrhoidariis, arthriticis, hæmicranicis &c. Sæpe degenerat in abſceſſus musculorum abdominis. Eidem facile ſuccedunt nephritis, malum iſchiaticum, podagra & ex incongrua medicatione ſcirrhi viscerum, aſthmata, pleuritis vera & hepatitis. Felicius per urinas ſolvitur quam ſudorem. *Hiſt. morb. Vratisl.*

Pulmonum tubercula cruda.

De morbis pulmonum noli cum jactantia diſſere, multis ne credentibus quidem fiunt exitio. *Bagl.* Ex dolore leni in alterutro pectore atque tuſſi ſicca nosce incipiens tuberculum. Ex angina ſi peripnevmonia intra 7. d. letale, vel minimum ſuppuratio aut tubercula pulmonum

num ſequuntur. Cruda pulmonum tubercula de facili in φθισιν abeunt. Latent inter initia ita clanculum, ut vix ulla ſui proferant indicia, ſed tota eorum res in inſidiis eſt. Tantum manifeſtantur demum vel poſt pleuritidem vel poſt anginam vel poſt febrem aliquam ſanatam; igitur, ſi tunc ſuperveniat dolor lateris, dorſi vel pectoris alius, accedente dyspnoea, orthopnoea, tuberculum ad inflammationem & ſuppurationem ire ſignificatur. *Dodon.*

Salus expectari poteſt, ſi pure exſcreato univerſo, ulcus manet nullum. Sæpiſſime derepente moriuntur. Suppurato tuberculo erumpit pus in trachæam & ſuffocat; hinc quo magis ſunt in pulmonis ſuperficie, eo minus periclitantur de ſuffocatione ſubita.

Purpura varia.

Purpura eſt omnium delicatiſſimus morbus. Aliquando ita inopinato jugulat, ut quem pro liberato jam cenſeas, accedentibus convulſione, delirio, furore, apoplexia extinctum paucas poſt horas audias.

Purpura, maxime alba, cum rigore impetit; variolæ cum horrore potius incurſant. *de Berger.* Notatur hæreditaria. Feminæ fluore albo detentæ ad purpuram pronæ ſunt. Sudores nocturni ad purpuram diſpoſitos ſæpenumero mirum torquent. Purpura per externum calidius regimen ex deſpumatione ſanguinis ſæpe inducitur, *Comm. lit. Nor.* Horrores ex

dorſo & lumbis cum ſudoribus intempeſtivis, dyspnoea, facie flammea, oculis ſubinflammatis & lacrumoſis nonnihil, maxime ſi circa febris vigorem, purpuram præſagiunt plus ſæpe ſymptomaticam. *de Berger.* Prænunciant junctim ſumta purpuram horrores; dyspnoea; ſenſus formicationis in facie, palpebris; ſuspiria cum pectoris oppreſſione; oculorum obfuscationes inſtar telarum araneæ; virium defectus ſine cauſa; pulſus frequens & debilis; vigiliæ & ſpirituum commotio ſub ſomnum; timor, mœſtitia ſine ratione angentes; dolor femoris, capitis, inteſtinorum &c. notabilis; urina ſanorum ſimilis. *Hamilton. Nebel.* Purpura quibusdam familiis fatalis vere eſt circa deſtinatos quidem annos. Pavor, metus, horror quidam vehemens ob & erga purpuram in nonnullis obſervatur, oppido ferialis, ubi eadem ſubeſt vel accedit. Suspecta ſunt ſigna: ubi nervo ſenſili dotatos, debiles, impuros; puerperas ergo, corripit; ubi pulſus perſiſtit durus & auctus exanthematis expulſis; ſi arteria præter modum debilis, intermittens eſt; inquietudo magna; ſomnus nullus; reſpiratio ubi permanet difficilis poſt efflorescentiam, ſudores ſemper effuſi; urinæ aquoſæ, pallidæ; alvus torminoſa, potiſſimum in puerperis; ſi inter arescendum æger bene opertus auræ frigidioris afflantis ſæpe ſenſum habet &c. *Hoffm.* Mala ſigna ſunt: ſtatio exanthematum inconſtans, inprimis ſi ad corticem non revertunt; vox faucibus hærens; linguæ tremor; angina, ἀφθαι; ſi horrores ſocii fuerint levium fugaciumque ſudo-

ſudorum; urina craſſa ſubito pallida facta; dyſuria in incremento; cardialgia in ſtatu; ſi æſtum præcordiorum ſummamque anxietatem internus frigoris ſenſus cum debili, parvo, inæquali pulſu excipiat; ſi interiora ardeant atque extrema frigeant cum ſudore largo, frigido, & contra ſi extrema æſtuent, & in ventre frigoris intenſi ſenſatio; purpura vanescat; animus linquat, mens turbetur; dyspnoea urgeat; convulſio incidat. Quæ citima exitii notas habent. *Hoffm.* Delirium, motus convulſivi, convulſio vel apoplexia, ſi ſymptomata comitantia & in principio accidunt, facilius Medici diligentiæ praxique regulari obſecundant, & contra in progreſſu & declinatione, maxime cum exanthematum regreſſu. *Jo. Georg. Gmelin. Diſſ. Tubing. nuper de febre miliar.*

Purpura quæ in declinatione continuarum ſuccedit in corpore impuro, cacochymico, viribus enervato, diebus licet criticis, plerumque funeſta; & contra, aliquando tunc ſalutaris eſt. Αφθας indicunt nauſea pectorisque calor. Augentur αφθαι puſtulis miliaribus arescentibus; & contra. *Hamilton.* Vomitus ſpontaneus neutiquam ſiſtendus ſed leniter promovendus. Ventris tormina ſæpe à miasmate remanente ſuboriuntur. Ægri quo magis ſomnolenti ſunt, eo facilius convalescunt, etiam ii, qui mitioris ſunt indolis, facilius, quam qui feroces & iracundi liberantur. *Hamilton.* Capitis dolor ſævus & purpura ſe invicem ſæpius excipiunt. In arthritidem migratio purpuræ non infrequens eſt.

Declinante morbo superiora manuum sudore frigido sæpe madent, volæ calent. *Hamilt.* Purpura acuta relinquit sæpe atque transit in apoplexiam; paralysin; convulsiones; delirium; morbos chronicos v. g. hystericos, hypochondriacos; mammarum apostemata (maxime in puerperis hæc) vel alius partis; tumorem femorum, tibiarum pedumque non semper indolentem; depravatam memoriam; fluxum lochiorum & urinæ nimium; calorem internum cum debilitate, languore ac imminuto appetitu cibi conjunctum. *Hamilt.*

Ex remanente vel retrogressâ generaliter fiunt asthma, tussis, febris, hydrops, oculi aurisque vitia, spasmi, convulsivi motus, epilepsia, arthritis, rhevma, paralysis, colica, cardialgia, *ἀφωνία* (quæ egressis pustulis funditus pluries tolluntur), levcophlegmatia, tumor œdematosus universalis vel partialis cum aut sine dolore, cui quoque medicina est &c. Restituti post tumorem talem leucophlegmaticum instar sceleti apparent emaciati. Situs erectus in exanthematicis periculosus est, maxime in purpura acuta, morte subito excipiente, præprimis in puerperis. Solvitur purpura critice urinis largis, sedimentosis; aucta transpiratione; diarrhoea; ptyalismo; per lochia; dolore spastico ac tumore dolorosissimo artus vel membri cujusdam; quin paralysi spuria &c. Diebus criticis aliquando bubones exsurgunt, non semper critici. De purpuræ eruptione à sedibus nil metuendum. Diarrhoeæ suppressio subitanea, spontanea, arte inducta, apoplexiæ metum injicit. Quandoque

doque lochiorum fluxum quasi supplet diarhoea & symptomata inde fiunt mitiora.

Purpuræ species varie inter se alternant. Puerperarum purpura multum habet nexum cum lochiorum & secundarum statu, consul. supra p. 217. Benigna purpura in malignam subito interdum mutatur, haut sine vitæ discrimine, plurimum ex inepto, damnabili regimine.

Rubra, quæ semel occupavit subjecta, ægre deserit. Rubra epidemica sæpe ita maligna est ut alba, immo hanc interdum superat. Rubra recedens specialiter gravia parit symptomata, anginam, aphthas, pleuritidem spuriam, hemicraniam &c. quæ erumpente iterum exanthemate prorsus fere evanescunt. *Junck.* Alba periculosior est rubra, maxime epidemica & puerperarum, hisque plerumque maligna suevit esse. Si nimis languide erumpit, ita ut post discessum priorum nova succrescant exanthemata, semper pejoris est indolis. Quæ cum petechiis simul, præcipue mature, efflorescit, est periculosa. *Junck.* Retrogressa alba ubi revertit, symptomata autem mala, ut ἀφθαι, anxietas, delirium manent, letalis est.

Purpura scorbutica renitens est malum & sævorum pathematum scenam largitur ubi intus remeat nec excluditur. Calidis in acutam sæpe mutatur. Facile sequitur lenta, hectica. Libenter revertit. In feminis cum fluore albo, alias hemicraniâ, vesicæ spasmo &c. sæpenumero alternat. Remanens pluries φθισιν mentitur.

Urticata & ſcarlatina circa d. 7. vel citius disparent iterum, ſibique relictæ ac debite tractatæ, nil mali relinquunt, & contra, mala habent conſectaria, inprimis ex regimine nimis calido. Quo citius ſcarlatina erumpit, eo citius abſolvitur. Et adultos adgreditur, licet rarius, & quandoque contagioſa eſt. *Comm. lit. Norimb.*

Mali moris eſſe indicant tonſillarum uvulæque tumor, convulſiones, coma &c. In febre ſcarlatina ſi puſtulæ miliares, colore rubro extincto, ſuperveniant, ſalutem promittunt. Si in ſcarlatina, urticata, miliari urina parcius ſecedit, non diu emanet tumor leucophlegmaticus, qui præcavetur diureticis. *Comm. lit. Nor.* Multi inde moriuntur. Urina ſimul eſt fuſca, turbida, nigro-ruffa, cum ſedimento atro-fuſco, ſpadiceo. An ſimilis in viſceribus internis ſtaſis, an potius non plena per puſtulas criſis & reſorpta materies acris, delata ad renes, ſtimulo ſuo clauſit vaſcula urinaria? *de Haller.* Et contra, lotium copioſum reconvaleſcentiæ bonum ſignum. Hæmorrhagia ſufficiens in ſcarlatinæ principio plerumque prodeſt. *Storch. Tractat. peculiar.*

Rau-

Raucedo.

Raucitas ab ulcere antiquo consolidato in junioribus εὐσπλαγχνοις; à partu quæ difficili, medicabilis est. Quæ à cacochymia venerea, scorbutica; à colica; ab hysterica chronica affectione; à vermibus vel aliis animalculis in primis viis; in synocho putrida; à catarrhis acribus &c. judicii rationem habet in morbo primario. Vocis raucedo quæ per annum duravit, non recipit curationem; hectici prope moriuntur. Raucitas in phthisicis mortem proxumam dicit. Ex insania in raucedinem cum tussi fit secessio. *Hipp.* Raucitatem observavi gravem, chronicam in ad hæmorrhoidum fluxum prono, robusto viro ceterum, earundem fluxione adveniente sublatam.

Renum & Vesicæ urinariæ morbi reliqui.

Magna est consensio renum ac vesicæ cum ventriculo, intestinis & pectore. *Rega.*

Quamplures morbi diuturni desinunt tandem in morbos pulmonum aut renum. *Bagl.* Renum affectiones supra 50 annum non curantur. *Hipp.* Podagricus fomes vesicæ morbos varios producit, dysuriam, ischuriam, mictum sanguineum, pruritum scroti & similia. Rene uno affecto & alter facillime patitur. *Forest.* Ren sinister præ dextro adficitur pa-

thematis nephriticis. Sanguis intra vesicam concretus gravissima parit symptomata, lipothymiam, exiguam spirationem, pulsum obscurum, nauseam, angores, extremorum frigus, cruciatus & ardores vehementes in ima pube atque circa virgam.

Vertigo atque nephriticæ affectiones sæpenumero alternant. *Hoffm.* Qui gonorrhoea virulenta laborarunt in juventute, persolent in senecta diro urinæ ardore vel ischuria quoque divexari. B*agl.* Si æger dum in terram incurvatur & exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium quasi scindi videatur, pro certo dicas, dolorem illum non esse nephriticum sed rhevmaticum. *Bagl.*

Nephritis simplex recens curari potest, calculosa autem vix unquam. Urinam cruentam si in illa mejant, timent quidem sibi & debilitantur sed levantur. Urina crassa æque melior est tenui. Urinæ atræ nephriticorum, vel succedente dolore vel secus, pro cruentis à quibusdam minus attente habitæ, non sunt timendæ. Hæreditaria vix curatur. Ructus insipidus seu motus quidam ventriculi convulsivus, singultui propior, proprius quasi est nephritico dolori & pro signo habendus pathognomonico. *Piso.* Renum inflammatio profundior ex gravitate febris, doloris, aliorumque febrilium symptomatum &c. cognoscenda, facile in ulcus abit. Brevior, diaria febris nephritica spasmum renum potius, non æque inflammationem significat. *Hoffm.* In junioribus longe vehementius

no-

nephritis exacerbatur & difficilius tollitur quam in senioribus.

Quo frequentius & acrius recurrunt invasus nephritici, eo periculosiores, & eo gravius exulceratio prævalescit. Renibus inflammatis facilior est decubitus in latus infirmum, supinis quam pronis ægris. Hæmorrhoides nephriticis accedentes, bono sunt. *Hipp.* Urinæ suppressio in nephritide mala. Alvo continentes ex nephritide facile abortum patiuntur. Nephritis spuria non raro in senibus μαρασμὸν post se relinquit. Calculosa plurimum sequitur inflammatoriam, purulentam, pituitosam. Periodica subinde est. *Ettm.* Nephritidem mentitur aliquando vermis renalis. *Pechlin.* Ubi renum inflammatio resolvitur, necessum est, finitis doloribus urina multa, crassa feratur cum sedimento copioso, albo, levi, non fœtido, non purulento. Corruptionis vel gangrænæ signum sunt creber bilis vomitus, delirium, frigus extremorum, doloris remissio sine causa, defectus virium subitus, urina ichorosa &c. Abscessus renum (quem fieri docet remissio doloris, ejus in pulsationem mutatio, horror sæpe recurrens, gravitas stuporque partis) si in pelvim erumpit, ex laudabilis puris per urinam excretione bonam relinquit spem, contra, si in cavum abdominis effunditur, vel si pus malum; Subinde vomitu vel alvo sincerum redditur pus ex ventris lumborumque regione. Si nulla facta resolutio, nulla suppuratio, febris dolorque cessant sine mortis signis, coxæ stupor, marcor, impotentia accedunt, scir-

rhum

rhum nuncia, qui incurabilis eſt, ac in hydropem facile funeſtum vertitur vel tabem. *Hipp. Lomm.* Abſceſſus renum plurimum fiunt à calculis. Gangrænam renum, veſicæ indicat urina ichoroſa. Ren ſæpe ita pereditur, ut pus membrana ejus ambiente, tanquam marſupio, obvolvatur, quandoque & calculis incluſis. Rarius renum vomica uno impetu erumpit. Ren purulentus quandoque totus excernitur, cujus loco poſt mortem tardius ſubsequam maſſam quandam invenit pinguedinoſam. *Jungken.* Pus urinæ non permiſtum ſignificat venire ex veſica; inæqualiter permixtum è renibus; æqualiter pulmonum ſuppuratum denunciat; *Lomm.* æque ex gradu fœtoris præſcies, unde ſit; ſi ex veſica, notabilior ceteris erit. Pus in urina eſſe deprehenditur, ſi vitro urinario aquæ tepidæ immiſſo ſedimentum non ſolvitur, nec urina redditur clara, quod fieri ſolet, ubi pituita ſola urinæ permiſta eſt. Quandoque pus cum urina exit integris renibus & veſica, veniens v. g. ex pulmonibus. *Holler.* Urina mucoſa non ſemper eſt ab ulcere renum vel veſicæ; in memoriam & revoca hæmorrhoides albas ſeu mucoſas, dolorque in lumbis vel veſicæ regione determinat, an ab his ſit. In renum ulcere ſæpius & copioſius cruor ſimul meitur, in veſicæ minus. Ulcera renum promtius quam veſicæ ſanescunt. Renum & veſicæ ulcera curatu difficillima ſunt, in ſenibus inſanabilia; & ulcere curato, longe poſt tempore cum urina adhuc feruntur filamenta. Ulceratio renum urinam dat craſſam,

turbi-

turbidam, fœtidam, sedimentum lacti non admodum dissimile.

Vesicæ inflammatio vix non semper in cervicis musculo sedet. Ubi non tempestive discutitur, vel citius necat sphacelo, vel tardius ulceratione & hectica. Familiaris est hæmorrhoidariis. Magis viris quam feminis accidere notatur. Si dolores in vesicæ inflammatione non solvuntur, neque vesica mollescit, periculum est, ægrum primis circuitibus, convulsum præ nimio dolore, moriturum. Simul pauca spes est, ubi sub permanente acuta febre, urina & alvi dejectio prorsus retinentur. Gangrænæ semper fatalis manet suspicio, ubi sub immorante febre dolores magis in dies ingravescunt, nulla adparante coctione in urina &c.

Vesicæ abscessus solvitur per perinæum, urinæ itinera, intestinum rectum. Ulceratio vesicæ major & gravior utplurimum est ab inflammata ejusdem cervice. Ulcus vesicæ quando à calculo fit, non curatur ni extracto calculo. Si quis sanguinem & pus & squamulas sive pelliculas mejat, & gravis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur; *Hipp.* Si ulcus sordidum in fistulam abit, crassamentum quoddam subsidet viscidum & cohærens, narium muco aut ovi candido persimile. Si præsente vesicæ ulceratione ingens ad matulam stimulus est, & post emictionem dolor gravis in pube ac perinæo, isque gravior corpus erigenti, eandem juxta urethram hærere pronunciabis. In ulceribus urethræ pus urinam præcedit, in il-

lis

lis vesicæ cum urina excernitur, illaque fœtet. Si in urina cum dolore excreta moleculæ furfuraceæ & exilia ac copiosa filamenta adparent atque subsident, scabiem vesicæ significant. *Hipp.*

Spasmus vesicæ gravissimus est & sæpe funestus, transitque facile in sphacelum si cum febre multa, vesicæ duritie juxta pubem, alvi ac urinæ suppressione. *Hoffm. Furstenau Dissert. pecul.* Erysipelate aliquando critice solvitur. Si in suppurationem abit ex inflammatione nata, urina multa, purulenta, salutem promittit. Spasmus vesicæ, ejusdem hæmorrhoides, mucosæ maxime, & purpura scorbutica pluries alternant. De vermiculis cogitasse ne negligas in vesicæ spasmo. Quorum plus quam mille, rarissimo plane exemplo, nuper notavi successive excretos cum vesicæ spasmo immanissimo, stipato vesicæ hæmorrhoidibus cruentis, albis pariter, largissimis, damnabili olei terebinthinæ usu ab agyrtis nebulonibus magis proritatis acriter, ægro adhuc superstite. Sed veri vermiculi bene noscantur ab iis, qui ex sanguine in vesica coacto laboriosisque nixibus excreto, figura tales saltim, excluduntur. Vesicæ spasmus ubi ad ἀκμὴν pervenit, nullam fere admittit medelam. *Farsten.*

Paralysis vesicæ sæpe inducitur ab urinæ excretione ex causa morali vel alia dilata diu ac protracta; æque à materia podagrica regressa, habetque præsagii rationem in morbo novo felicis, in isto adhuc quandoque quidem, in hoc plurimum.

De

De hernia veſicæ urinariæ evolvas p. 134. De hæmorrhoidibus ejusdem conſul. pag. 125. prolata.

Urinæ incontinentia ſanationem admittit quæ à vermibus inteſtinorum plerumque colis dolore ſtipata; quæ ex conſuetudine in infantibus; quæ ex fibrarum laxitate; quæ ex ſphincteris veſicæ debilitate, recens adhuc. In pueris curatur annis crescentibus ac fibra maturitatem acquirente; ſi annis crescentibus non cedat malum, incurabile prædicito. *Bagl.* Peſſima, quæ à vulneribus læſionibusque aliis cranii; à luxatione vertebrarum dorſi. Peſtifera, ſi per febres incidit acutas, viribus jam fractis. Inſanabilis, quæ in ſenibus; quæ ex ſphincteris læſione per lithotomiam. Quæ vigilantibus contingit rariſſime curatur, utpote ex paralyſi vel læſione fiens. Quæ à laxitate duntaxat ſphincteris ægrius curatur in feminino quam nobili ſexu.

Ruptura veſicæ urinariæ à calculo pluries adhuc ſanatur. In veſica molæ polypi obveniunt urinali, fatalis plerumque exitus.

Rhachitis.

Gravida ſi ventrem coarctet per thoraces ſtrictos ad rhachitidem prædisponit infantulum. Feminæ albo fluore laborantes faciles ad rhachitidem procreant fetus.

Connata

Connata nunquam obſervatur. A ſeptimo à nativitate menſe puſillos utplurimum corripit & vix ante finitum triennium relinquit. Quo longius à partu affligit, eo melius. Morbus invalescens ſi ſuper annum ætatis quintum inhæret, difficulter curatur; & ni in juventute mutationem recipiat, per omnem vitam corpus manet deforme. *Hoffm.* Hæreditaria ubi diſpoſitio, & ubi à primis mox ſuborta eſt menſibus, difficilis eſt curatu. Quæ ex vitio victus, regiminis; quæ vermibus, variolis, febribus, ſcabiei, cruſtæ, lacteæ, herpeti ſuccedit, facilius adhuc medelam admittit; atque ubi revertunt efflorescentiæ, febris, bono eſt. In anguſto ſpes eſt, ubi hydropicus tumor, aſthma, φθισις, diarrhoea, lenta, hectica, ſpina ventoſa, dentium nigredo, caries, tumores oſſium ſtrumoſi, tubera ſubcutanea, anhelitus, vaſa colli infarta, varicoſa &c. accedunt. Corpus ſumma macie extenuatum perimitur. Veræ rhachitides rarius tunc occurrunt, ubi intermittentes autumnales prædominium habent. *Sydenh.* Inquinamentum venereum plus ſæpe admiſtum eſt, morbumque reddit difficillimum. Diarrhoea ſi nullis cedat remediis, malum. Mala rhachitis aliquando ad oculos convertitur ὀφθαλμίᾳ cum tuberculis pronata, hacque victa vim ſuam atque noxam denuo exſerit. *Buchner.* Solvitur quandoque variolis; migrat in ſcabiem. *Ortlob. de rhachit.*

Cere-

Cerebrum in rhachiticis defunctis admodum molle, mole magnum, multum habere suevit mucosi humoris.

Rhachitis more infantum in adultis observatur quoque sine causa manifesta eveniens. *Burggrav.*

Scabies. Morbi cutanei alii.

Arcanus pectoris intestinorumque cum cute consensio est. *Rega.* Scabiem praecedunt vesiculae aqua plenae. Scabies omnis aliis ex toto quidem desinit, aliis certo anni tempore revertit. Ægerrime in senibus sanescit, ad lustra aliquando extenditur. Per contagium communicata facilioris est curationis quam ceterae. Levior humida est siccâ, sed haec curatu facilior illa. Rebellis valde est scorbutica & ferina; huic facile succedit hydrops. Pessima est ea scabies quae caput obsidet. Chronica difficilius sanatur quam periodica. Si simplex scabies protracta jam, relictis superioribus, ad pedes talosque demigrat, mox plane cessaturam significat. Ubi visceris alicujus labes concurrit, malum omen. Gravior est scabies quae magis cutim exasperat, prurit magis, plures numero obsidet partes, somnumque potius aufert. Scabies negligenter habita non raro ipsam in elephantiasin transmigrat vel lepram. Solvit scabies arthritidem, deliria, epilepsiam, febres &c. In juvenili aetate saepe ab aliis morbis praeservat. Critica notatur in scorbuto, fe-

bribus acutis, intermittentibus. *Kramer.* Retropulſam ſequuntur ſtatus ſurdaſter, effluxus ſeri ex aure, pectoris varii graviſſimique morbi, apoplexia, convulſio, colica, cardialgia, febres intermittentes, acutæ, gutta ſerena, ſpasmus veſicæ, mictus cruentus, motus ſpasmodici vagi, palpitatio cordis, φθισις, ῥαχιτης, tuſſis ferina, cachexia, œdema, hydrops, ſingultus, ſternutatio inſolita, nimia, & reliq.

Scabies ſi ſicca magis quam humida valde eſt; circa pudenda potius hæret cum cruſta tenaci, corroſivo ardore, doloribus profunde infixis, nocturnis, ſociis & aliquando bubonode inguinum tumore, coryza uteri vel colis, mali coloris, in infantibus circa anum verrucis, ulceroſis excoriationibus, manifeſto veneream ſuſpicator. Rariſſime hæc totum corpus ita diffuse obſidet atque ſimplex. Suis antidotis citius & certius tollitur quam alia.

Venerea retrocedens vel repulſa inſigniſſimam mox virium proſtrationem infert, atque ad formandos tumores bubonodes tendit; rarius febris acuta ſuccedit ac in ſimplici, ſanioſa; Scabiei & furunculorum non infrequens eſt viciſſitudo & unum altero ſolvitur. Scabiei, tineæ, variis exulcerationum generibus, reprimentibus prohibitis, ſæpius numero ſuccedunt tumores cyſtici, atheromata &c. Parotides ſi ſcabioſos obſideant, de topicis quære uſurpatis ex hydrargyro. Scabiei fœdæ ſubjacent infantes ſub menſium fluxu concepti. Climacterica chronicas & pro inſuperabilibus habitas ſæpe aufert ægrimonias. *A. N. C.*

Cutis

Cutis vitia, quæ ex interna viscerum labe difficilius curantur, facilius renovantur & ni hæc ſit ſuperabilis, in hecticam & hydropem migrant. Rebelles ſunt cutanei morbi poſt intermittentes, variolos, morbillos, luem veneream. Noduli ſubcutanei pejores ſunt quam efflorescentiæ.

Gutta roſacea ex hæreditate, ſine noxa non deletur. Vari & gutta roſacea arthriticis cum adflictionibus ſæpe alternant; ad interiora in his, maxime ſpiritalia loca, verſa, aliquando brevi fatalia fiunt. Gutta roſacea vel vari repulſi ſæpe cauſa ſunt tuſſis ferinæ, φθισεως, affectuum rhevmatico-arthriticorum, catarrhi ſuffocativi &c. Novi ex varis faciei repulſis tremorem artuum, dein amavroſin ſecutam, tandem purpuram albam funeſtam in Juvenca nullius regiminis & diætæ; ceruſſata enim cadente moro nigrior ſibi placebat Lycoris. Varis & guttæ roſaceæ ſe impetigo ſæpe jungit; contagioſam ergo dicunt illorum materiam. *Junck.* Sobriis nunquam accidunt. Varis ac gutta roſacea adflicti bene valere videntur, niſi quod anomaliis variis hæmorrhagicis, maxime feminæ menſtruis ataxiis exerceantur. Ερπης omnis minime omnium ulcerum, quæ depaſcendo ſerpunt, periculoſa eſt, verum curationem difficilem & longam habet, maxime ea, quæ minus rotunda. Miliaris ſquamulis farinaceis diſcedit; mediocriter & in ſumma cute ambulat, cujus tumiditas ac rubor ejus adventum ſignificant proxumum; in orbem fere procedit, plerumque medio ſanescente, extrema

latius vagantur. *Platn.* Capitis miliarem cum defluxionibus catarrhosis si excipiunt morbilli vel varioli, periculosum est; sphacelus partis quandoque accedit. *Hoffm.* Εσθιομενος & miliaris est, contagiosa & senibus familiaris. Εσθιομενος celerior & altior est atque ad ossa usque vorat cum effluxu humoris albidi, exulcerantis. Prurigine asperior, rubicundior ac pejor est Lichen, longe atrocior adhuc psora, pessimum genus Lepra. Facile lichen neglectus in psoram & hæc in lepram vertitur. Lichen manus potissimum obsidet, psora tempora & frontem. *Lomm.* Lepra vel psora quos semel inquinavit, hi facile tabent. Furfures lividi ac fœtentes lepræ nuncii esse creduntur. Lepra apud nos in initio curabilis est, nec sic contagiosa, ut illa Græciæ describitur. *Willis.* Psora nostra medicinis superatur. Elephantiasis incipiens medicabilis est, adulta minus, maxime faciei. Alphus chronicus quandoque solvitur diarrhoea longa. Curationem non difficillimam habet. Cutim vix unquam penetrat.

Leuce vix vixque remediis tollitur. Ad ossa usque adficit. Cruor post acus punctionem emanans spem facit sanationis, contra, tenuis subalbaque sanies. Inanis maxume medicina, si locus ex toto colorem amisit suum, nec rubor eidem frictu induci potest.

Combustio profunda in corpore cacochymico facile degenerat in ulcus fœtidissimum & malignum. Gravis brevi aliquando necat.

De aliis cutaneis vitiis ſparſim alibi inprimis morbos infantum ac puerorum tradentes, monuimus.

Scirrhus, Struma ſive Scrofula.

In morbis chronicis ex decem ægris fere novem ſcirrhis laborant internis. *Boerh.* Si contuſio, inflammatio, ſuppuratio in interioribus prægreſſa, non bene curata ſit vel vi naturæ ſoluta, & maneat gravitatis pondus in parte, ac αναισθησια, ſcirrhum metue internum; & ex hoc prævio, accedente dolore, febre hectica, commiſſis erroribus disponentibus &c. cancrum. Scirrhus internus epatis, lienis, pancreatis &c. quandoque diu vel per omnem vitam, ſi ſine acrimonia ſit, ſi non concitetur, & per reliqua viscera id, quod hic deficit, reſarciatur, ſine ullo vitæ incommodo fere, durat. Sed in raris hoc eſt. Quod & valet de externo. *A. Wedel. Boerh.* Scirrhi viscerum, maxime profundius ſitorum, difficilius cognoſcuntur, ac nonniſi ex dolore obſcuro & gravativo fixo, reſpiratione difficili, tuſſi ſicca dijudicantur; ſuspicio tamen eorum adeſt in morbis diuturnis ac rebellibus. *Vater.* Necat ſcirrhus cachexia, hydrope, ictero contumaciſſimo, corruptione viscerum, absceſſu, cancro, ſphacelo. Scirrhus per ſe eſt innocuus, evadit motu incitato malignus; qui ſæpe vitari impos, æternum metum incutit.

In cachecticis, venereis facile in cancrum degenerat. Si inflammetur scirrhus, cancri metus est. Scirrhus externus recens, non nimis magnus, nec scaber, mobilis, sine vasis tumidis, in corpore ceterum integro, aliquando medicamentis vincitur; aeque si pressu sensum exhibet aliquem; contra, consummatus, sensu penitus carens. Scirrhus sanguineus majus periculum inducit, & contra exsanguis. Exquisitus scirrhus & lapidosus nulla curatione tollitur; non exquisitus, pituitosus curari quidem potest, non tamen facile. *A. Wedel.* Scirrhi incredibilis aliquando fiunt magnitudinis. *Ruysch. Boerh.* Si scirrhus majores arterias premit, adfert ατροφιαν; si venas, tumores œdematosos & inflammationem; si nervos, stuporem torporemque cum ατροφια. Scirrhi linguæ labrorumque majorem injiciunt cancri præ ceteris metum, quia hæ partes & multo humore redundant & assiduis fere motibus agitantur. *Platn.*

Strumæ vitium sunt scirrho finitimum. Externæ infensæ maxime sunt collo, dein glandulis ad alas, mammas, inguina &c. Mitiores sunt quæ recentes, æquales, mobiles, rotundæ, coloris cum cute ejusdem, circumscriptæ, non maxime duræ, doloris, inflammationis expertes; & contra facile in magnum, erodens, serpens demigrant ulcus, prope carcinomatosum cum venis eminentibus, dolore pulsante. Manu sublatæ facile circa cicatrices resurgunt, nisi radicitus exstirpentur. Pueris frequentiores sunt minusque noxiæ, adultioribus rariores & difficillimæ. *Lomm.* Hæredita-

tium

rium vitium inſanabile. Si tumores ſtrumoſi occupent loca juguli circa vaſa, facile homo per apoplexiam mori poteſt, vel nascitur hydrocephalus internus.

Strumæ ulceratæ, antiquæ promtiſſime in genium abeunt cancroſum. Strumoſi aſthmate ſcirrhoſo vel pituitoſo communiter quoque laborant, & v. v. Si in exterioribus tumores ſtrumoſi per ſe orti ſunt, tunc etiam in meſenterio, pancreate, inteſtinis vel utero quoque apparent tales; priora potiſſimum in infantibus, pueris. Ægri hi utplurimum contabeſcunt. *Boerh.*

Scorbutus.

Scorbutus non ita frequens eſt morbus ac vulgo putatur. Varie Medicos fallaci morborum ſpecie ludit. Sanguis plumbeus ac viridis ex vena ſecta ſcorbuti index. *Eugal.* Unus ſcorbuticus magis fœtet quam decem venerei. *Kramer.* Peccantium humorum in ſcorbuto major eſt habenda ratio quam partium læſarum.

Denuncia ſcorbutum adeſſe ex gingivarum ſugillatione; facie livida, plumbea; languore absque ratione; oris ſiccitate perſeverante; pulſu debili & inæquali; urina alba, craſſa, cum ſedimento albo, craſſo, furfuraceo, arenoſo, fractæ polentæ non diſſimili, citra febrim notabilem &c. *Eugal.* Prædic propinquius alcalicum ſive calidum ex calore p. n.; rubore faciei, oris ac labrorum horumque ſiccitate;

ſiti magna; urinæ fœtore alcalino, eâdem ſaturata, ſabuloſa. Acidum ſeu frigidum mone ex ſapore, ſudore, ructibus acidis; corporis inertia; ſitis defectu; urina pallida; labris ac oris parte interna pallidis, albis & cærulescentibus; pallore ac frigore corporis &c. Salſum noſce ex ſalſo ſemper in ore ſapore. *Boerh.* Scorbutici ad venerem multos habent ſtimulos. Aliis morbis in primordio, incremento, ſtatu, declinatione varie ſeſe immiſcet. Senibus ac puerperis gravior eſt. Inveteratus, hæreditarius, febribus diuturnis aliisque morbis chronicis male curatis ſuperveniens difficillime curatur. *Williſ.* Scorbutus difficillimæ eſt curationis, maxime calidus, qui juvenibus& cholericis frequentior; curatur tamen in dies, maxime recens. Exactiſſima diæta medicinis præſtat, ſine qua ſenſim fit incurabilis. Facile recrudescit, inprimis ubi hæreditaria diſpoſitio. Fixam habens ſedem raro curatur, niſi quandoque palliativa. Contagioſus eſt & hæreditarius, totas familias inficiens. Juvenes ſcorbutici facile pulmonum eroſionibus patent & vix ſeneſcunt. Hypochondriaci, hyſtericæ, cachectici, gonorrhoici, difficilius laborant, ſed non pro deſperatis ſunt habendi, inprimis abſente viſcerum vitio. Scorbuti ac arthritidis viciſſitudo alternans nota eſt. *Drawiz.* Singulare ſcorbuto eſt accidens ſenſus quaſi infixi gulæ pali atque ad lipothymias facilitas ſumma. Non raro ſcorbutus prius occidit hominem quam notis illis ſignis in gingivis & cruribus efflorescentibus ſe prodat. Pejor, qui citra contagium ſubnaſcitur ex hu-

humorum domeſtica, propria, inquilina pravitate. Urina laudabilis cum morbi incremento & perſeverantia certum ſignum eſt medicamina eſſe mitiora, quam pro morbi cauſa conveniat. Urina cruenta in ſcorbuticis multis multo cum levamine meitur, limites modo haut transgrediatur. *Eugal.* Scorbutici ad δυσηκοιαν, οφθαλμιαν, catarrhos, ulcera, cordis palpitationem, ſphacelum &c. proni ſunt. Inveteratus viam ſternit ad gravia mala, tubera ſubcutanea, hydropem, melancholiam, delirium, maniam, tympanitem, ατροφιαν, paralyſin, ſtuporem, dyspnoeam, φθισιν, convulſiones, epilepſiam, dyſenteriam, affectus ſoporoſos, apoplexiam, ſphacelum extremorum, utpote tandem mortis nuncium. Spes curationis reliqua eſt ſi malum recens; ætas juvenilis; ſi non hæreditarius; ſi à contagio, aëris inſalubritate, navigatione, vita ſedentaria; ſi non cum viscerum corruptela; ſi ejus fomes per hæmorrhoides, menſes vel diarrhoeam criticam, ſcabiem criticam, ſcorbuticam dictam, ſubtrahatur &c. *Hoffm.*

Solvitur aliquando per alvum; per hæmorrhoides tempeſtivas & ſufficientes (fluxiones ſanguineæ tardæ & parcæ nil juvant); per urinas, etiam cruentas interdum. Tubera ſcorbutica cum vel ſine exulceratione pro depoſitione critica habenda ſunt. *Eugal. Barbett.* Scorbutici & venerei morbi multiplex eſt convenientia; hujus interhæc potior in Therapia habenda eſt ratio. Fatum grave eſt gonorrhoea ſcorbutica, quandoque plures per annos, quin ad vitæ

finem misere adfligit, *Eugal.* aliquando in cacochymiam, penis exulcerationem desciscit.

Feminis scorbuticis facile menses deficiunt aut in fluorem album mutantur; nonnunquam copiosiores fluunt, aut paralysis excipit, sæpe citra appetitus imminutionem, aut ατροφια ingignitur, si oris siccitas in languore scorbutico diutius perseveret; modica humidi rejectio tunc juvat, largior offendit. *Eugal.*

Paralysis scorbutica facile in contracturam nervi in parte, convulsionem abit. Doloribus arthriticis sæpe succedit. Anteit eandem stupor crurum, tumor in partibus extremis subito exortus ac brevi disparens. *Barbette.* Crepitus ossium medelam vix admittit, *Willis.* magis adhuc, si & venereum sublateat inquinamentum. In atrocissimis artuum doloribus scorbuticis si lethargus subito supervenit, tum in alium statum fit mutatio. Pulsus in scorbuticis intermittens, adeo parvus ac debilis aliquando est, ut omni momento moriturum credas ægrum, quod vero absentibus aliis perniciosis signis, haut terreat. Pulsus in deliquio scorbutico major est quam extra illud. *Eugal.* Interdum scorbutici subito moriuntur. Tormina ventris continuæque contorsiones circa umbilicum, vel sphacelum intestinorum & subitam mortem in senibus, vel tympanitem post se trahunt. Qui mesenterium obstructum habent, faciles sunt in colicam scorbuticam. *Draw.* Colica scorbutica pluries migrat in arthritidem vagam scorbuticam, ariduram,

duram, lumbaginem contumaciſſimam, abſceſſus internos.

Maculæ ceteris paribus bonum ſignificant, ſunt bonum indicium malæ cauſæ, nempe materiæ mali per cutis poros expulſæ; quo rubicundiores, quo majores, eo meliores; quo magis ad colorem nigrum vergunt, eo pejoris ſunt naturæ; abeunt in ulcera fœtida, cacoëthea, grave malum & calamitatis plenum, quin ſphacelationes; In cholericis communiter roſeæ magis ſunt, in melancholicis lividæ aut fuscæ; morientibus nonnullis evanescunt, aliis erumpunt tunc demum. Malo ingravescente ſæpe maculæ ſcorbuticæ in totas tibias ita diffunduntur, quaſi unica eſſet macula nigra, tetra & aſpectu horrenda cum tumore ad elephantiaſin accedente. Stigmata cruenta & tumores duri lividi diu ſine ſpontanea disruptione perſtare ſolent.

Ulcera ſcorbutica tota plerumque livent, ichoroſa ſunt; venerea in ambitu rubra nosces, colorem ex albo cinereum in ima cavitate referentia. Ulcera linguæ ſcorbutica nulla ferunt mercurialia in- & externa. Exulcerationes oris ſcorbuticæ primum gingivas, dein fauces & tonſillas, lento quidem greſſu, inficiunt; venereæ primo fauces & dein demum gingivas.

Gingivis laborantibus minus afficiuntur tibiæ, & contra; ſæpe tamen utraque. Qui ſtomacace laborant, jejuni ſputatores ſunt; pueris hæc frequentius obvenit. Accedit vera gangræna vel cancer quandoque gingivarum;

in

in liquamen putridum converſæ, inſtar muci deterſæ gingivæ abeunt. *Boerh.* Livor faucium in ſcorbuto pro letali habetur ſigno. Gangræna ſcorbuticis peſſima & communiter mortis nuncia; per maculas fuſcas quæ degenerant in eſcharam ſiccam cum membri torpore, ſeſe prodere ſolet; ab extremis plerumque incipit, nec multum habet fœtorem, plus aſt periculi. Scorbuto motus febriles, ubi junguntur, irregulares ſunt; convulſione ac caro facile ſtipantur. Frequentes haut ita ſunt ſcorbuticæ febres, uti vulgo opinio circumfertur. Typo, periodo irregulari, vago, maculis ſcorbuticis, crebra viciſſitudine (quæ notabilior ubi paucæ maculæ) euphoriæ ſtatusque pejoris, intimius noscuntur. Et antecedunt & conſequuntur ſcorbutum aliquando febres: quandoque antegrediuntur ardentes, malignæ, duplices tertianæ, ac quartanæ; conſequuntur febres quartanæ; ſic ut febres quartanæ terminentur in ſcorbutum & viciſſim ſcorbuto ſuperveniant aut complicentur febres. *Balthaſ.* *Brunner Tr. de Scorbuto.*

Reſpiratio difficilis & pectoris anguſtia circa diaphragma, periculoſum eſt malum; quæ ſi negligantur, ſæpe ægri ſyncope præter expectationem intereunt, aut ſi longinquius trahantur, hydropici fiunt, inprimis ii, qui purgantibus fortioribus ſubinde uti ſuevere; Aliquando peripneumonia ſuccedit. Male aliquoties ſcorbuto junguntur vomitus & dejectiones choleræ inſtar. Diarrhoea, lienteria, ſymptomatica, peſſima eſt ac difficillimæ curatio-

rationis; Temporis tractu necant hydrope vel tabe. Sudores copiosi ατροφιας, nervorum contractionis pluries prodromi sunt. Sputa livida, cruenta, biliosa in scorbuticis, inprimis à stomacace, citra insigne vitæ periculum sunt.

Serum adeo corrosivum ex naribus scorbuticorum quandoque effluit, ut lintea intincta eroserit *Deckero* teste. Hydrops scorbuticorum vesicalis medelam recipit. *Eugal.* Scorbutici sunt trementes & convulsionibus ex facili corripiuntur. Scorbutici ex purgantibus, salivantibus, sudoriferis valentioribus pessime se habent. Ex purgantibus facilis est hydropis successus.

Singultus.

Fere in illa œsophagi parte singultus sedem habere videtur, ubi ingreditur diaphragma. *Boerh.* Si chronicus, observa curatius, an partium thoracis conformatio mala adsit. *Barthol.*

Compresso utrinque ad latera medio digito dextro, rei tristis narratione aut insolitæ timore, cedit singultus. *Holler.* Singultus contumax, chronicus, aliquando vomitu vel diarrhoea solvitur; tollitur aliquoties sternutamentis maxime si ex repletione. Non omnino immedicabilis est qui crustis aphthosis in ventriculo suppurantibus aliquando supervenit. *Boerh.* Non æque periculosus est qui in hypochondriacis, hystericis vel ex primarum viarum cruditatibus, acrimonia. In acutis, præsertim malignis, exanthe-

anthematicis, inflammationibus viscerum, funestus ſæpiſſime eſſe ſolet ſine ſignis coctionis, ſequente delirio, convulſione per totum ac morte; ſi vero circa dies evenit criticas, reliquis ſignis, maxime ex urina bonis, nil mali portendit, ſed criticum vomitum vel diarrhoeam prænunciat, & his excipientibus ceſſat ſponte. *Holler. Hoffm.* Senibus hic magis accidit poſt copioſiſſimas evacuationes.

Periculoſus eſt ſingultus ſi ab ileo; hernia; cum αφωνιᾳ; à vomitu cum oculorum rubore; ſi cum languore & ſtupore; ſi delirium aut convulſio intervenit; ſi vulneribus internarum partium, hernio- & lithotomiæ accedit; ſi à musculis & oſſibus temporum læſis (*Holler*); ſi ex inanitione, qualiscunque ea fuerit; ſi ab excretionibus criticis cutaneis, evacuationibus paribus ſuppreſſis, morbis retrogradis; ubi, idque cum febre interdum, in ſenibus hernioſis (*Holler.*); ſi leniter concutiens; ſi in ſenibus ex colica vel μαρασμῳ decumbentibus; ubi à læſo diaphragmate cerebro, ventriculo; ubi teneſmo detento ſupervenit; ubi propter visceris fit inflammationem; ſi puerperas tenet; ſi colicæ præter conſuetudinem accedit.

Qui coſtis fractis, diſtortis, luxatis accedit, imminentem, inflammationem prædicit.

Sitis

Sitis.

Sitis passio est longe dirissima & cruciatus, qui omnes alios, & ipsos, unde proficiscitur, dolores vincit. Ex illo Medicorum illorum ratio semper barbara, qui miseros à potu toties tamque enixe flagitato abstinent. *Pechlin.* In ardentibus & inflammatoriis bonum est, si æger bene sitiat largeque commodum hauriat potum. Sitis inexhausta maximum significat morbum in âcutis; sed exitialis, quæ comitatur vel sequitur signa pessima; æque perniciale, siti omnino carere, vel antea urgentem sine causa omnino tolli, maxime si lingua simul nigra & squalida. *Hipp. Alpin.* Sitis depravata admodum circa potus minime idoneos, mala. Sitis abolita in chronicis morbi pertinaciam ac diuturnitatem arguit. Sitis à nimio potu exorta, cachexiam & hydropem minatur. Sitis immodica, cotidiana ad 40. libr. aquæ usque, in scorbuticis quandoque obvenit, largissima hac diluitione tandem bene superabilis, si in solis adhuc succis noxa. Sitim immodicam sine omni febre, nilominus cum tertianæ typo, aquæ puræ copioso potu extinctam, notavi.

Quibus noctu bibendi est aviditas, iis admodum sitientibus obdormiscere bono est. *Hipp.* In vomitu eum, qui siti prematur, sitis expertem esse, malum est.

Situs.

A gangræna, sphacelo, carcinomate bene distingues situm partium corporis humani viventis. Si idem à causis internis, rarissime, si ab externis, facilius admittit curationem. *Dethardlng.*

Somnus. Soporosi affectus. Torpor.

Somnus nimius & profundus minus habet periculi, si in pueros incidat primamque ætatem; sin corpora invadat exsoleta, vetusta & leucophlegmatica, jam & strigosa, plus adfert discriminis & lethargici quid subesse significat. *Pechlin.* Somnus crisin excipiens, eandem perfectam esse significat. Profundi somni neque turbulenti judicii firmitatem denunciant, & contra. Somnus moderatus quietus, delirio & convulsionibus superveniens, eadem solvit. Somnus profundus, non turbulentus sed placidus, licet duraverit diu ebriorum instar, non est malus, sed sedat & arcet majora mala, delirium scilicet, dolores capitis & in pueris febrem. *Duret. Stahl.* In quo morbo somnus laborem facit, letale, & contra, si juvat. Somnus & vigiliæ si modum excesserint, malum. *Hipp.* Somnum profundissimum octiduanum in melancholico notavimus, posthæc diu adhuc superstite. Somni quales sopore oppressis

pressis & totius corporis perfrictiones, perniciem ostendunt. Si in dormientibus de oculi albo, non exacte commissis palpebris, adpareat, modo non ex alvi sit profluvio vel consuetudine, exitiosum. Pessimum est, si somnus neque noctu neque interdiu accedit, id enim ob dolorem laboremque evenit, vel delirium fore significatur. *Hipp.*

Affectus soporosos in acutis prænunciat urina subjugalis, si æger & tum ad somnum inclinet. Cum epilepsia facile commutantur soporosi affectus. Epidemici observantur morbi soporosi. *Boerh.* Affectus soporosus à crapula, capitis ictu, contusione &c. mitior illo ab interna causa, & 7. d. superato eventum minus funestum arguit. Affectus soporosi post 3. d., ceu dimidium septenarii, motu critico plerumque mutantur, vel in melius vel in pejus. *Hoffm.* In pueris soporosis de vermibus sciscitare.

Sopore, lassitudine ac surditate detentos alvus erumpens & ad judicationem rubra demittens, juvat. Sopore alto, stupido correptis si venter in tumorem p. n. sublatus est cum cibi fastidio ac alvi interceptione, hos juvare potest vel alvus fluxa vel urina laudabilis. Si in acutis soporibus spumantes prodeunt dejectiones, febris ingravescit. Soporosi cum inquietatione, præcordiorum angore, parva vomitione ac frequenti, ad aures tubercula accipiunt, vel forsan convulsiones quoque urinæ si tenues, claræ, malum in his. *Hipp.* Pulmonum morbi desinunt in fine in soporosos affectus, vertigines, oculorum caligines. *Bagl.*

Αφωνια, pectoris strepitus, difficilis poculorum deglutitio, pituita tenuis è naribus stillans, urinæ alvique retentio, promta resupinatio, periculum comatis exitiosum denunciant. *Hipp.* Delirium superveniens comati, convulsionem significat. Comatosis succedentes convulsiones, malæ. Coma vigil phrenitidem & convulsiones funestas persæpe prænunciat, & in malignis non raro in emortualem transit soporem; Terminari quandoque solet surditate ac abscessu post aures. Coma somnolentum ab ischuria, ulceribus suppressis, maxime aurium, his revertentibus quoque abit. Carus si repente hominem corripit, nil est, nisi levior apoplexia; ex quo prædictio formanda. In senibus, impuris corporibus, enervibus, est periculosus valde, pluriesque in lethiferum migrat lethargum. Si dolores caro juncti, convulsionem significant. Carus eo gravior judicandus, quo gravior febris combinata, & quo magis cruda urina. Solvitur diarrhoea serosa. Perniciosissimus est si in declinatione febrium continuarum supervenit vel febri non judicatæ; item cephalalgiæ, epilepsiæ, cum vocis, motus & sensus privatione.

Rigori aut horrori die critico si coma superveniat, mors expectanda. Carus frequentissime transit in apoplexiam letalem.

Differt lethargus à comatibus, quod hæc præcipue febrem comitentur & non conjuncta his sit oblivio sed levius delirium. Obrepentis lethargi indicium dicunt, primaria inter, ad segmentum musculi palpebrarum orbicula-

cularis inferius tumorem. *Brendel*.Bona spes si sensus & memoria primo lethargi insultu non penitus tollitur; si prius sano & robusto accidit; si æger respondet ad quæsita; anhelitus ei liberior est; excretiones naturales bene succedunt. Satius est lethargo supervenire phrenitidem quam phrenitidi lethargum. *Hipp. Bagl.* Lethargus nunquam periculo vacat, & iste periculosissimus, quem artuum tremor, singultus, respiratio tarda cum rhonchis magnis, sudor gelidus faciei, urinis sponte effluentibus, maxime subjugali, comitantur. Intra 7. d. moriuntur lethargici, nisi febris supervenerit, aut pus ex faucibus, naribus vel auribus succedat; vel sternutatio frequens cum narium vel oculorum stillicidiis eveniat; aut abscessus post aures fiant. Solvitur quoque aliquando pedum tumore, furunculis, abscessibus, erysipelate, vel junctim vel seorsim incidentibus. Quum multum liquidum per alvum dejicit lethargicus, pusilla vitæ spes est. *Holler.*

Si lethargici evadunt, pectore suppurantur, (*Hipp.*) sed hæc suppuratio non ita tuta. Lethargus in hystericis, hypochondriacis apoplexiam annunciat. Si in lethargicis ex pulsu parvo sensim magnus fit & sic increscit, citius intereunt ægri. *Rhod.*

Torpores & sensus privationes præter consuetudinem ortæ futuras apoplexias annunciant. In continuis malus, pluries letalis, maxume mentis, quem ignaviam dicunt, in phreniticis exitialis est torpor; damnabilis, qui cum surditate, à qua prodeunt stillæ sanguinis è

naribus; In inflammationibus internis perniciales. Ex angina citra crisin hypochondriorum dolor cum torpore, insidiose occidit, etiamsi valde modeste habere videantur. *Hipp.*

Torpor partialis ni critice aliquando appareat, morboque concocto, semper malus. Torpor in contraria celeriter permutatus, perniciem nunciat. Ubi rigori torpor succedit, mentis alienatio indicatur. *Alpin.*

Sternutatio.

Angulo oculi majore compresso impeditur sternutatio. *Ionston.* Ex sternutatione multa nervorum opticorum obstructionem & ex hac cæcitatem consecutam scribit *Hildanus.*

Sternutatio in apoplexiis provocata sternutatoriis bona, & contra, signum letale.

Evenit cum ευφοριᾳ bonoque est in hypochondriacis & hystericis frequens ac pluries repetita; in singultientibus; in lethargicis cum stillicidiis oculorum aut aurium; sub finem catarrhorum; in menstruis parcis; in odontalgia; secundis retentis; difficulter pariente; in reconvalescentibus &c. & contra, in senibus; vertiginosis; epilepticis; herniosis; comatosis &c. Sternutatio & catarrhus ferinus sive antecedat sive subsequatur pulmonis mala cum febre acuta, discrimen vitæ adfert; In aliis maxime letalibus morbis sternutamenta spem solutionis volunt, utilitateque haut carent; maximeque salutare, si hæmorrhagia critica interve-

terveniat. In febribus præcipue malignis, etiam rebus omnibus desperatis, salutem promittit sternutatio, modo non sint affecti pulmones. *River.* Vidi aliquando sternutationem in hysterica, sanguinea, libidinosa, fertili frequentem, tandem semper in intumescentiam artuum dolorosam, vagam terminatam.

Sudores.

Sudorum indices sunt rigores. In acutis non infirma sudoris prædictio est, si nulla alia crisi significata, sub pulsu undoso ac molli, 4. die, ut indice, urina est cocta; corporis cortex calida, laxa, madida, vaporem emittit quemdam calidum, qui antea non fuit; levis incidit horripilatio denudato corpore cum alvo occlusa, urina pauca; Sic fiet d. 7., decretorio, crisis per sudorem. Per sudores in febribus acutis ac inflammatoriis optima fit crisis. Optimi sunt in acutis sudores qui coctione prægressa diebus decretoriis cum rigore contingunt, penitusque morbo vel plurimum liberant; qui toto corpore oriuntur calidi, copiosi, non nimii neque interrupti; qui ægri temperamento respondent. Particulares hic minime sunt utiles; si frigidi pessimi.

Mali sunt in acutis sudores assidui, sive modici illi sunt sive copiosi; non juvantes; in initiis mox stillantes &c. Perniciem minantur in acuta copiosus cum repentina virium pro-

ſtratione; ſudatiunculæ ac rigoris crebra viciſſitudo; fœtidus nimis.

Sudores in acutis, diebus intermediis ſive non criticis contingentes, laborem, morbi longitudinem aut recidivam ſignificant. Quibus circa initia acutarum tenues ſuboriuntur ſudores & urinæ coctæ emittuntur cum magna totius exæſtuatione, ſi præter rationem perfrigescunt & rurſus celeriter peruruntur, & torpore, ſopore aut convulſione tenentur, ii perniciose affecti ſunt.

Sudor fœtidus nimis extra febrim, ſi non juvet, funeſtus eſt. Frigidi ſudores cum febri acuta mortem; cum mitiore diuturnitatem declarant. *Hipp.* Febres ſudatoriæ veterum inconſtantis ſunt typi.

Sudor Anglicus morbus eſt acutiſſimus, contagioſus, epidemicus, malignus, horarum 5. 10. 12. aliquando, interdum 24. 48. terminatus fatali eventu. Sudor manans vehementiſſimus eſt, teterrimus, graveolens, olidus. Finitur utplurimum letali peripnevmonia. *Foreſt. Sennert.* Nuperis hisce annis huic par ſæviit in Piccardiæ terris, la Suete à gente dictus Gallica, mitior tamen, uti literæ teſtabantur publicæ, iſto.

Sudor unius, hujus vel alterius lateris, chronicus, connatus quaſi, plurimum hydropem poſt ſe trahit. *Petr. Imman. Hartmann. Comm. de febr. quibusd. ſudator.* Nulla excretio plus debilitat quam ſudor effuſus. Sudor nimius ſibi relictus, licet vires aliquo modo exhauriat, tanti tamen non eſt periculi, quam ſi

vere cohibeatur. Sudor multus per somnum citra causam manifestam factus, copiosiore alimento corpus uti significat; quodsi cibum non adsumenti hoc accidat, vacuatione indigere significat. *Hipp.* Sudores nocturni sæpe mirifice torquent in purpuram proclives. *Hoffm.* Sudores consuetudinales, universales, particulares, haut sine noxa turbantur; graves inducunt morbos, quandoque quin letum inferunt repressi. *Bern. Nebel Diss. pec.* Sudores particulares singulares plane plus sæpe observantur in gravidis. Ex sudore manuum valetudinis conditionem dignoscunt causarii, stomachique offensi minas ex siccitate, reconciliati gratiam ex rivo isto aucupantur. Perinæi sudor protractus, largior, sæpe vim genitalem simul labascere facit, vel id indicit. *Pechlin.* Sudor pedum cum fluore albo interdum alternat. *A. N. C.* Vidi ego fœtidissimum pedum cum diarrhoea fœtidissima alternantem; alia vice notavi talem totius corticis, fluorem album solventem. Sudor sanguineus post graves convulsivos & spasmodicos affectus erumpens, feliciter subinde tollitur, contra, in febribus cum humorum dissolutione maligna rarissime.

Tenesmus. Prolapsus recti.

De tenesmo dysenterico habes in locis de dysenteria.

Idiopathicus majus habet periculum, præcipue si cum singultu colludit; Qui sympto-

matice dysenteriæ, diarrhoeæ, vomitibus jungitur, non æque. Per plures menses continuo durans, & cum modica, sæpius tamen repetita excretione mucida per alvum junctus, plerumque signum est læsorum viscerum. Vetus in colicam & volvulum interdum transit. Tenesmus gravis in hystericis cum laboribus quasi partus laboriosissimis pluries ex spasmo obvenit, isque, recens maxime, bene medicabilis est. Mulieri uterum gerenti ubi tenesmus supervenit ex morbo gravi, eandem plerumque abortire facit. *Hipp.* Qui alvo continentibus ex pondere uteri, abit ipsus enixo fetu. Singultus tenesmo laboranti superveniens, periculosus est. Qui cum concurrente causa paralytica spincteris vesicæ plus habet difficultatis. Qui ab ulcere cancroso uteri, recti, bonæ spei parum relinquit. Ubi à tumore vasorum seminalium, quandoque cedit, ast cognitu perdifficilis est. *A. Wedel.* Qui ab ulcere vesicæ urinalis par habet judicium uti ulcus ipsum. Ad urinam suppressam si tenesmus accedit, intra 7. d. occidit, ni febris intervenerit urinæ iter expediens. *Hipp.* Sæpe ex neglecto tenesmo ulcus relinqui solet sordidum ac purulentum, idque in fistulam verti, quæ remediis ægerrime tollitur. In longis morbis letalibus dolor ani tenesmodes vel dysentericus mortiferus. *Hipp.*

Tenesmnm sæpe excipit ani prolapsus, hunc justo diuturniorem, cum refrigeratione inprimis, inflammatio, & hanc perperam curatam sphacelus. In recto prolapso sphacelato aliquando

quando tunica interior ſphacelata ſponte decedit, & reliqua inteſtini ſubſtantia iterum in naturalem ſitum revertit, excipiente perfecta ſanitate. *Hiſt. morb. Vratisl.*

Tremor.

Tremor in corpore ſano eſt prodromus paralyſeos, in paralytico ſanitatis. *W. Wedel.* Scorbutici tremoribus patent. In febribus acutis tremor artuum, linguæ, letalis eſt, maxime in morbi progreſſu. *Alpin.* Ex tremoribus convulſiones, letaliſſimæ. *Hipp.* In ſenibus tremor eſt incurabilis. Qui ſupervenit mulieribus poſt partum ex retentis quibuscunque in utero, eſt periculoſus adfectus, ſubinde enim epilepſias letales infert. Si tremor à nervorum obſtructione, pejor eſt, quam ſi à plethora vel humorum defectu. *Boerh.* Capitis tremor ſine titubatio vacillans ſæpe remanet à caro ſoluto. *Boerh.* Sæpe tandem tremor tranſit in cachexiam ac hydropem, maxume in bibonibus. Demigrat facile in apoplexiam, paralyſin, lethargum, ſpasmum. Tremor manuum varis ac gutta roſacea pluries ſolvitur in bibonibus. Novimus cephalæam diuturnam tremore brachii ac manus protracto ſolutam. Tremore ſolvuntur *αφωνιαι* ex rigore factæ. Quibus capitis ac cervicis dolor ac totius corporis impotentia cum tremore adeſt, ab iis ſanguinis eruptio liberat. *Hipp.* Tremor à vermibus, ſuis cedit antidotis. Tremor epi-

 demi-

demicus contumax febre ac languore ſubdolo ſtipatus traditur ab *A. N. C.* qui ſolvebatur per tuſſim violentam cum ſputis fœtidis; coryza larga & diuturna; ſudore; diarrhoea.

Tumor varius.

Omnis tumor p. n. vel ſponte evanescit vel per inſenſilem transpirationem dispellitur vel ſuppuratur, vel in putredinem vergit membrumque corrumpit, vel in ſcirrhum induratur, hinc pluries cancreſcit, vel permanet etiam dum vivitur. *Schelham.* Si tumores ſubcutanei mobiles, plurimum cyſtici ſunt, & contra, fixi ubi iſti ac adhærentes.

Tumores cyſtici non adeo magni nec nimis duri ſine periculo à nonnullis ad extremum halitum circumgeſtantur; ſi nimis grandes & dolere incipiunt, metus eſt tabis vel cancri. *Heiſter.* Tumores ſerius aperti graves inferre queunt noxas, mortem. Meminit *Hildanus* abſceſſus circa humerum ſero aperti, quæſita deorſum via, genitalibus gangrænam ſuccedentis. Novimus tumorem mammæ carnoſum in puella ceterum ſana, vere 25. libr. Noricas habentem &c.

De aliis tumorum generibus ſigillatim.

Tuſſis.

Tussis.

Tussis formaliter omni hecticæ non competit. Tusses pectorales potius sunt humidæ, hepaticæ magis siccæ. Tussis nunquam fere omnino tuta est, instar enim occultæ foveæ se habet, in quam plures securi non raro impingunt. Tusses pectorales à purgantibus exacerbantur. Tussis capiti & oculis infesta est. Vernalis mitior est autumnali & curatu facilior. Sicca juvenum diuturna suspecta est ob hæmoptysin & φθίσιν.

Periodica emanens sine alia evacuatione critica migrat in appetitus vitia, catarrhos suffocativos, paralyticos affectus. *Juncker.* Senes etsi cum tussi aliquando inducias, nunquam tamen firmam pacem, inire queunt. Ferina facillime herniam, abortum, scrofulas &c. causari potis est. Sympathica præsagium habet in morbo principe. Tussis epidemica convulsiva infantum infra trimestre constitutos torquens, utplurimum funesta est; solvitur aliquando brevi abscessibus corporis. *Meibom.* Si tussis cum febri pertinaciter afficiat, maxime noctu, & nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiamsi sanguis non spuatur. Quibus in febribus accidit tussis, illa non liberantur perfecte, si tussis adhuc perseveret. Tussis humida si subito in siccam desinat cum pectoris gravitate, vel hecticam vel pulmonum exulcerationem minatur. Qui gibbosi fiunt ex asthmate vel tussi, ante pubertatem moriuntur. *Hipp.*

Hipp. Quæ ex viscerum ſcirrhis tuſſis eſt, plerumque manet immedicabilis. Aſthma & tuſſis à pulmonum calculis (*Pechl.*) vermibus (*Beniven.*) eorundem rejectione tollitur. A dolore forti, tumore, inflammatione, ad teſtes irruente, tuſſis ſicca ſolvitur; Magna enim & intima eſt conſenſio à pectore ad pudenda. *Bagl. Rega.* Tuſſis aſthmati ſuperveniens ſæpe ſolvit idem.

Tuſſis in nonnullis arthriticis acceſſionis prænuncium ſymptoma eſt, d. 4. vel 5. antecedens ægrumque exagitans; eâdem materia arthritica pulmonibus inſidens ſalubertime pluries eliminatur. Cui ſalſuginoſa ſputa unaque tuſſis quieſcunt, iis totum corpus veluti exanthematis obſitum rubet ac tandem aſperitate fit rigidum, jamjam futura morte. *Hipp.*

Tympanites. Flatulentia.

Quibus tenſiones ac ſupra & circa umbilicum dolores laboresque fortes ſunt, ut & in lumbis, qui nec remediis nec tempori cedunt, neque ullo alio modo ſolvuntur, in hydropem ſiccum deſinunt. *Hipp.* Tympanites ſimplex ac incipiens, præſertim à cauſa externa, potu nimio vel frigido, glaciato exortus, aut febribus intermittentibus ſuccedens præcipue in robuſtis ac vegeta ætate, facilius tollitur. Radicatus vix unquam curatur. *Puerar. ad Barn.* Tympaniæ magis peculiaris eſt arida tuſſis, aſciti ſitis. Morbis infimi ventris ſpasmodicis

diu

diu divexati demum tympanitidis metum habent. *Willis.*

Tympanites feminis eſt familiarior quam viris, maxime poſt crebriorem abortum. Frequens ejus eſt ſucceſſio in ascitem. Tympanites tandem migrat in acutam erraticam cum ſtranguria, ſphacelo pedum œdematoſorum, dyspnoea, hæmorrhagia, tuſſi, acerba quandoque, quin convulſiva; Quæ mors proxume excipit. Gravior eſt tympania, ſi hydropi ſupervenit. *Schrader.*

Non juvant hæmorrhoidales varices, non alvus fluxa nec flatuum exploſio. *Brendel.* Vigiliæ, ſitis, febricula, inappetentia, alvi ſiccitas, mala. Peſſima, hectica, alvi & urinæ ſuppreſſio. Tympaniti ſi accedat umbilici inflammatio vel alius ventris musculi, tunc mors eſt in propinquo. *Dolæus.* Ex uſu purgantium, diureticorum crescit magis pedum ventrisque tumor, venitque hydrops humidus.

Flatus ſive vaporoſus aër & in ſanguinem ſe proripiunt, unde hypochondriacorum mira aliquando pathemata; Sic & tympanitem cordis & vaſorum inſignem αυτοπται notarunt *Pechlin. & Hoffmann.* Ructus teſtantur de contentis primarum viarum, dein de viscerum ſtatu.

Si venter intumescit ac perſiſtit in morbis, præſertim acutis, peſſimum, ſi cum aliis pravis ſignis, mortale. *Hipp.* Flatulentia ſpasmodica ex calculo urinali, felleo, hæmorrhoidibus, menſtruo negotio, difficilis eſt curationis. Quo manifeſtius in flatulentia commotiones

tiones ſanguinis concurrunt, eo magis preſſiones in ſiniſtro latere & ventriculo adſunt. Quo magis aſſuescit flatulentia, tanto torminoſior fit, inprimis ſub alvo ſicca. Matrix flatulentiarum ac fomes ſæpe ſunt vermes, cruditas, ſpasmus, naturalis anguſtia locorum &c.

Fallaciæ flatuum magnæ ſunt mentiunturque varias tragœdias, morbos graviſſimos repræſentant, aſthma, aurium, oculorum vitia, lipothymiam, nephritidem, pleuritidem, cordis palpitationem, angorem, lienis infarctum vel tumorem, graviditatem pluries referunt &c. Nil dicam de ventriloquis aut ἐγγαστριμύθοις.

Illi qui dyſenteria laborarunt gravi, maxime alieni ſunt à flatibus. Voluntaria flatuum cohibitio præcipue in ſanguineis, facile ſpasmos, tormina, colicam flatulentam, imo convulſiones progignere valet. Suppreſſio habitualium flatuum tumores, indurationes abdominis tympanitem, hecticam inducit. *Stahl.* Ex flatulentiis incarceratis ac urgentibus pluries numero accidunt intus ſuſceptiones inteſtinorum. Perforatio abdominis in ſimplice tympanite nil facit; ubi vero flatus in ſola ventris cavitate, vel ubi ſimul aſcites, proficua. *Dan. Nebel.*

Va-

Varioli.

Admiratione dignum, abditum & texturæ sanguinis infixum variolarum fermentum nullis vel vehementissimis intestinisque fluidi conquassationibus ante destinatum tempus evocari posse, & solum esse aëris contagium certamque κατάστασιν, quæ sopitum latitansque à multo retro tempore virus sanguinis textura evolvat, neque facile reperiri quemquam, qui ab hoc tributi genere sit immunis. *Pechl.* Febris variolosa obvenit aliquando, variolis non emergentibus ipsis. *Boerh.* Sunt qui variolis bis, ter fuere correpti, ipsissimis nempe veris. Regulares circa æquinoctium vernum maxime ingrediuntur. *Sydenh.* Prognosis est dubia sanationis, quia nondum methodus certa est detecta. Horrores qui incidunt quum emergere incipiunt, hæmorrhagiam narium nunciant. Si variolæ cum magno incidunt frigore, indicant morbum fore pessimum in sua specie. *Boerh.* Nonnullis familiis varioli singulariter fatales observantur; suberitne siphyliticum seminium? Sub menstruo fluxu concepti infantes pessime laborant variolis, æque à parentibus siphyliticis pronati, matre pariter fluore albo maligno, non quidem venereo, orti. Periculosius detinentur obesi, adulti, senes, gravidæ. In variolorum primordio si adsit febris intensissima, non fiet suppuratio, sed ichorescentia, nascentur confluentes malignæ, totumque corpus fiet nigrum; in his liquor

clarus, subrubellus, instar loturæ carnis. *Sydenh. Boerh.* Cum vitæ discrimine laborant, qui diu contractam in visceribus alunt veneream labem, magisque si incondite mercurialia sumserint; hique largo admodum insuper torquentur ptyalismo. Diarrhoea gravissima, quartana, scabies, achores, favus, lactumina, abscessus aliaque ulcera non vindicant, defendunt aut liberant à variolis tum temporis epidemicis. *Pechlin.* Quidam nondum variolos vel morbillos experti, jam immunes manentes, facile achoribus, tinea &c. vexantur. Dolor ingens v. g. lumborum, lateris &c. differt variolarum eruptionem, tuncque prædicas confluentes & periculo non vacantes. Si in superficie sanguinis vena emissi crusta magna, alba crassaque variolos fore copiosos valdeque periculosos edicito. Quo diutius natura expulsionem molitur, modo non torpeat, eo certior atque universalior hæc erit. Nil æque attente observari atque vox & respiratio debet. His enim integris magna spes est, violatis dubia. *Lomm. Bagliv.* Optimum quoque præsagium sume ex intumescentia faciei ab 8. ad 11. d., & ab hoc manuum usque ad pustularum in iis maturationem. Convulsio, epilepsia ante eruptionem, plerumque, sed non semper (*Comm. lit. Nor.*) nil mali habet, hæque rarissime confluunt; pessima in statu vel declinatione eveniens; ista accidentia prædicito in infantibus sanguineis, vivacibus, & qui vino assueti cotidie, facile adventura. Alvus adstricta pustularum eruptionem, seram licet, cer-

certam tamen fore ſpondet. Hæmorrhagiæ in initio, modicæ, bonæ ſunt, & adultiorum præoccupant deliria.

Diarrhoea in primordio non mala.

Phrenitis inter principia ſæpe obſervatur omni vacans periculo. Nullum ſputatorem in variolis vidi mortuum ait *Waldſch.* Cruenta hîc phlegmata non ſemper ſunt letalia. In variolis veſpertina notatur exacerbatio. Morbi magnitudo, malignitas & periculum ex numero faciem obſidentium judicatur. Salutis ſpes in paucitate exanthematum, diſcrimen in multitudine, maxime faciei. *Sydenh.*

Dies octavus eſt magis fatalis in diſcretis, undecimus in confluentibus. *Waldſch.* Oculi quos variolæ infeſtant, optime cuſtodiuntur palpebris inter ſe glutinatis.

Quandoque morbi malignitas maxime in oculos & artus ſævit; Vidi oculum, qui totus gangrænoſus excidit. Artuum ulcera rebellia, ſinuoſa, quin caries oſſium, hinc nata nota ſunt.

Diſcretæ plurimum d. 4., rarius ante illum apparent. Quo ſpatium inter puſtulas magis rubet, tumet, calet, tenditur circa tempus abſceſſus, eo melior ſpes; contra angina ſequitur letalis, niſi ſalivatio liquida vel tumor manuum pedumque ingens acceſſerit. Si in ſpatiis iſtis purpura, petechiæ, letalis gangræna deſignatur. In diſcretarum maturatione felici faciei puſtulæ aſperiores cotidie ac magis flavæ conſpiciuntur, contra manuum & reliqui corporis minus aſperæ, albæque magis. Diſtinctæ

faciei ac reliqui corporis desquamatione, diruptione illæ manuum abeunt. Quanto mitior est morbi species, tanto citius pustulæ ad maturitatem atque morbus ad finem perducitur. Post distinctas æger alvum habet constipatam vel tardam. Confluxuras prænunciant coma; intensior febris; vertigo; vomitus enormis; artuum, dorsi dolor rhevmaticus &c. utplurimum hæ d. 3 adparent. Ex qua maturiore eruptione aliquatenus quoque easdem præsagire licet. Nunquam confluæ vacant periculo. *Sydenh.* Horror aut rigor modicus in suppuratione vigente confluentium quid monstri alit, metum enim addit pnevmonicæ febris vel phreneticæ, maxime si jam ante delirii gliscentis indicia sint, & primam febrem secunda protinus excipiat sine remissione facta. Algor in confluentium resiccatione & ruptione criseos simulacrum habet ac sudori analogum quid nunciat, magis cum urina cocta & bono somno. *de Berger.* Confluentes sæpius sequuntur φθισις, lenta, hectica. In confluentibus diarrhoea tam est necessaria quam sunt vel pustulæ vel faciei & manuum intumescentia. *Sydenh.*

Loco secundariæ febris miliares albæ innoxie quandoque erumpunt. *de Haller in Comm. lit. Nor.* Secundæ febris initium facit vespertinus algor vel quandoque modicus rigor. Quo diutius tumor faciei & manuum persistit, eo melius; sin tumor ille una cum salivatione evanescat, prodromus est mortis.

Mictus

Mictus cruentus, hæmoptoë & maculæ purpureæ eruptionem prævenientes mortem accersunt præmaturam. Pariter quævis fluxio sanguinis sub incremento, statu ac declinatione variolorum suspecta esto. Æque urinæ suppressio.

Crurum tumor post confluentes sæpe relictus, ferus ac intolerabilis fere, rhevmatici æmulus, si recens adhuc prudenti cedit medicationi, ast perverse exceptus vel neglectus haut raro suppuratur & in sinuosa abit ulcera. *Sydenh.* Dolor lateris post variolos, morbillos, solvitur aliquando in dispositis sedis hæmorrhoidibus cruentis. Phrenitidi variolosæ plerumque peripnevmonia comes est. Phrenitide si æger d. 9. 11. corripitur, corpus jactat, urinam parce reddit ac frequenter, paucissimarum horarum spatio ad plures migrat maxime in confluentibus. *Sydenh.*

Si finito variolorum decursu algor rigorve incurset, abscessus fiunt vel extrinsecus varii, vel ad viscera, maxime in pulmonibus potissimum in à natalibus opportunis, comite febre lenta. Succedunt isti quoque pleuritides, intermittentes tertianæ præprimis. *de Berger.*

Absoluta exsiccatione in vado prorsus constitutis macula erysipelacea, livido nigricans aliquando subnascitur ex improviso, plerumque in pede, & moriuntur. *Hoffmann.* Vidi ex agglutinato supercilio distractione violenta multum lacerato in puero convulsionem, αφωνιαν, mortem. Pustulæ coloris peregrini in medio foveola nigricante conspicuæ, non sem-

per letale præbent indicium, aliis nempe symptomatis benignis concurrentibus. *Avicenn. River. Hoffm. de Haller in Comm. lit. Nor.*

Color variolis legitimis maturescentibus proprius est flavus & favorum similis. *Sydenh.* Ubi maturescentibus novæ adhuc succrescunt aliæ, facile retrocedunt, & ægri convulsi plus sæpe intereunt.

Adulti satis promte sudoribus diffluunt exitu fatali, d. 8. utplurimum, & post mortem adhuc rubentibus ac elevatis pustulis. *Sydenh.* Sudor in variolis impedit pustularum elevationem atque intumescentiam faciei. Ptyalismus mox à primo morbi primordio instans, malus. Si cum eruptione incipiat, bene se habet, d. 11. minuatur, post diem autem adhuc unum vel alterum omnino desinat; si citius penitus cesset; res ægri in lubrico sunt. *Sydenh.* Abortus & mensium fluxus copiosus incidens, periculosus est, non vero letalis, maxime si d. XI. & post illum contingat, *Dethardine.* Frequenter post variolos tussis remanet vel etiam alvi fluxus, unde facillime in φθισιν incidunt. In numerum & locum suppurandorum variolorum aliquando exsurgunt numero plures furunculi.

Vomitus in principio accedens cessat facta eruptione. In infantibus diarrhoea confluentium, licet non ita certo, comes est, in adultis ptyalismus. *Sydenham.* Alvi fluxus non semper pertimescendus, si genius morbi epidemicus sic ferat, æstas diu sicca & arida sit; si varioli multum inflammatorii malique moris.

Hoffm.

Hoffm. Qui cum confluentibus diarrhoeam non habebant, fere peribant. *Bagl.* Visæ sunt diarrhoeæ, quibus retrogressarum variolarum materia purulenta fuit evacuata cum utilitate. *Meibom.* Diarrhoea circa declinationem sæpius supervenire solet non letalis. *Waldschm.* Quasi purulenta tempore maturationis non mali est ominis. Diarrhoea durante decursu seroso-biliosa haut exitiosa semper, nec junctæ petechiæ, purpura rubra & ἀφθαι. *Comm. lit. Nor.* Quandoque vermes præsupponit eadem. *ibid.* Regimine justo calidiore provocatæ viam sibi nonnunquam per dysenteriam faciunt. *Sydenh.* In memoriam recurrit cæcitas biennis ex achoribus inducta puero, variolis superata; alio tempore testiculi sinistri tumor vegrandis, durus, frigidus in puero ex conquassatione, discussus iisdem; Sic quandoque auxilio sunt varioli.

Variolis, sæpius numero succedunt tussis, φθισις, asthma, ἀτροφια, abscessus, visus auditusque vitia varia, ulcera multiplicia, tabifica, caries, gangræna, sphacelus, paralytodes, clauditas, febres variæ, tabidæ maxime, œdemata, hydrocele, glandularum tumores, raucedo, catarrhus suffocativus, ἀφωνια &c.

Suspectos nosces variolos per dolores pertinaces in artubus, spina, lumbis; si exanthemata stationem non servant; si facies 3. vel 4. d. non intumescit, vel mox detumescit iterum nec manibus intumescentibus; si ptyalismus ex saliva viscidiore cessat circa d. XI. cum tumore faciei imminuto nec manibus intumescenti-

bus vel diarrhoea urinæve copioſo inſtante profluvio; ſi ante eruptionem grave delirium & anginodes; ſi in ſuppuratione convulſio, ſopor & poſt hunc alienatio mentis & incongruus ſermo; ſi novæ ſemper ſuccreſcunt; nimia ubi eſt ſalivatio; ſi vel nimis cito vel nimis tarde prodeunt; ſi manent depreſſæ ac ſuppurationem renuunt; ſi coloris non genuini varioloſi; ſi pulſus non defervet; ubi animo linquunt; ſi diarrhoea cruenta, mictus cruentus, ſputum cruentum, hæmorrhagia ſuperveniunt, maxime poſt abſolutam eruptionem & in ſtatu; ſi petechiæ vel purpura accedunt; ſi reſpiratio difficilis cum voce rauca; ubi ſudores inſtant frigidi vel colliquativi; ubi mox apparent aſperæ inſtar purpuræ; ſi ardentiſſimus ex exulceratione circa d. 9. dolor manuum eſt; ubi cardialgia, tormina, nauſea, dolor pectoris, reſpiratio peripnevmonica, anxia inquies, jactatio, dyſuria, iſchuria, teneſmus, pervigilium &c. Ex quibus plurima funeſta eſſe ſueverunt, epidemiæ aſt ſpecialis genii habita ratione ſemper & ubique.

Moriuntur plures ex ſudore coacto, calidiore regimine, medicatione, quam à ſuſcepto frigore; Et rarius quidam moritur ex eo, quod variolæ primis diebus non eruperint, ſed quod vel nimium eruperint vel præmature detumuerint. Obeunt diebus criticis, utplurimum 9. 11. 14. puſtularum ardore exquiſitiſſimo; convulſionibus; catarrho ſuffocativo fere tanquam ex angina præfocati; puſtulis diſparentibus; macula livida vel nigricante maligna

poſt

poſt exſiccationem quandoque; alii apoplexia, præprimis ſanguinei & durante morbo mente emoti.

Varix.

Varix minor & ſimplex nil habet mali, contra grandis multum atque inflammationi, ulceri ſocia. Ex magnitudine quandoque rumpuntur cum vitæ periculo ob ſanguinis profuſionem. *Fallop. de tumor. & ulcerib.* *Fab Hildan.* recenſet varicem in tibia, craſſitie brachium ad carpum adæquantem & ſpithamam fere longum. Internæ peſſimæ ſunt.

Venereus morbus.

Conf. loci de fluore albo venereo.

Catarrhus uteri venereus frequentior ac contumacior eſt illo penis. Malum aphrodismum effreni hominum libidini atque corruptelæ meretriciæ coævum eſt. *Harris.* An non peſtis bubonacea eſt velox Siphylis, & contra? *Schreiber cog. de Peſte.* In virorum & mulierum morbis arduis ac pertinacibus periodumque ſibi propriam non ſervantibus de lue fœda ſuſpicandum. Lues venerea ſemel recepta in corpus, difficulter poſtea deletur, miteſcit ſed non extinguitur. Dolor fixus in medio pectoris diu perſeverans ac moleſte, ſine tuſſi, ſignum eſt mali ſiphylitici latentis, mul-

tis ante annis ab ægris ſuſcepti; arcana enim eſt conſpiratio pectoris cum verendis, *Bagl.* æque pudendorum cum faucibus, teſte noſtro morbo.

Morbos occultorum locorum aphrodiſiacos mentiuntur hæmorrhoides (*Brendel.*) ac arthritides anomolæ; curioſe ergo diſtingue, nec cujusdam, vel & magis tuam lædas famam. Celticæ Luis caracter ad XXX. & plures pluries annos ſanguini inhæret absque ulla moleſtia fere & incommoda patientis valetudine, recrudeſcit tamen tandem derepente tanta ſymptomatum vehementia, acſi tunc primo ſuperveniſſet. *Bagl.* In regionibus frigidioribus, porro autumno ac hyeme, multo difficilius curatur quam in æſtate ac calidiore in climate. Lues prævia gonorrhoea ſubnata mitior eſt, & contra ſine hac inſurgens. Si vitium adhuc in ſuccis tantum, felicior eſt ſtatus ac curatio facilior. Exigua ſpes ſupereſt, cui oſſa eroſa, exeſa, comminuta, gummatibus tentata viſcera læſa, corrupta &c. Qui ſemel ſanati fuere & iterum corripiuntur, ſæpius Medici eludunt operam. Si καρηβαρια non cedat mercurio, ſubeſt cranii caries. Leguntur epileptici facti, quod in curando morbo ex unguentis mercurialibus nonnil in aurem ac cerebrum penetraſſet. *Fernel.* Malum venereum ſtruma & elephas aliquid habent cognatum. *Bagl.* Contagioſa eſt Paturſa generatione; lactatione; contrectatione (unde & ſæpius per obſtetrices propagatur); ſaliva; ſudore; liquido genitali; exhalatione; Et qua parte

parte contrahitur, primo ſe manifeſtare ſolet. *Boerh.*

Levius tolerant morbum juvenes & ſanguinei; diutius atque gravius vexantur pituitoſi, phlegmatici, hypochondriaci, melancholici, catarrhoſi, ſcorbutici, ſenes, cholerici. Feminæ quamdiu lunæ ſolvunt, cum lue facilius colluctantur quam viri. *Hoffm.* Corpora rigida cum difficultate liberantur; ſucculenta, perſpirabilia minore periculo & moleſtia curam mercurialem tolerant quam ſicca, tenera, denſiora. Qui ægre purgantur, ægre etiam ad ptyalismum perducuntur. Ubi in ægre ſalivandis importunius ſalivationem urgeas, nil loco ejusdem quam dejectiones dyſentericas & ſtomachi ventrisque tormina obtinebis, quandoque, ni deſinas, mortem. A febre hectica malum non eſt liberum hocce. Nunquam deſerendi ſunt venerei, ſed à mitioribus ad fortiora progrediendum eſt. Gangræna accedens peſſima. Multi ex mali reliquiis ſpretis contabeſcunt, pulmonibus fere intactis. Urina venereorum eſt craſſa, ſubturbida cum ſedimento tenaci, ſubmucido, quaſi grandinoſo odoris fœdi, putridi, nauſeoſi.

Ἀγκυλωσις ſæpe fit exoſtoſibus venereis adjuncturas brachii, pedis. *Boerh.* Tophi gummata ſi recrudescunt, fons non eſt ſublatus veneni; maximopere circa autumnum ſæviunt hæ protuberantiæ; necraro oſſium corruptio iisdem ſupercrescit; Obveniunt tamen quoque absque venerea cauſſa. *Heiſter.* Morbus Neapolitanus tandem necat effectibus hecticis, φθισι,

hydrope, carie, cancro, ſphacelo, paralyſi, intolerabili dolorum cruciatu; cadavere & vermibus mephite ingratiſſimo. *Harris. Sydenh.*

Quo magis cruſtulæ, porrigines, ulcera, ſcabies diffunduntur per varia corporis ſpatia, eo minus æger tortura discruciatur nocturna. Venereas cruſtulas & porrigines internoscas à ceteris, quod favi inſtar flavescant. Verpi non glandis ulcere, ſola gonorrhoea tentantur. *Sydenh.* Gonorrhoea cum lue ipſa concurrens ſalivatione neutiquam ſanatur. Eſt peculiare gonorrhoeæ genus, ſi vitiatus humor in rara & ſpongioſa glande exſudat Littrii glandulis. *Ac. Reg. Sc. Pariſ. Sydenh. Boerh. Aſtruc. de morb. vener.*

Gonorrhoea non omnis venerea eſt, & mercurialibus perperam tractatur; non venerea ſive benigna ſcorbuticis, arthriticis, nephriticis eſt familiaris, præcipue his paſſionibus non rite tractatis. *Comm. lit. Nor.*

Præpoſtere ac præpropere exceptam frequenter ſuccedit arthritis. *Musgr.* Chorda gonorrhoeæ venereæ anteſignanus eſt, maxime ſub initium & finem mictionis excrucians, maneque potiſſimum, ubi urina ſaturata. Virulenta periculoſior ſi cum tumore penis, exulceratione ac carunculis in urethra. Ulcera urethræ ex gonorrhoea facile ingignunt cicatrices, quas vulgo carunculas nuncupant. Colis interioris ulcus venereum quandoque cutim emergit.

Benigna inveterata utplurimum difficilius quam maligna recens curationem admittit, inpri-

primis quæ virulentam excipit. Pejus laborant phlegmatici, catarrhosi, & qui in pueritia diarrhoeis patuere. Benigna inolescens gignit impotentiam, cachexiam, tabem, quam dorsalem dixere; periculum minatur, si accedit asthma, hydrops, alvi profluvium putridum & saniosum. Virulenta per se non facile in luem transit ipsam, nisi intempestive, incongrue cohibita. Quicunque recidivam patiuntur, admodum difficulter curantur. Quo facilius succedit fluxus, eo mitiora sunt symptomata; pessimum, si parce nimis exstillat, & urina fœtida summe, flavescens, viridis mingitur. Deplorata est, quæ digito in anum immisso renitentiam habet ad sensum, aut si catheter argenteus intrusus lividus extrahitur. *Lentil. ex Welschio.* In melius versæ signa sunt, si dolorifica membri erecti constrictio & exquisitissimi in urethra sub mictione ardoris sensus minuitur, vigor redit corpori, facies vividior redditur. *Hoffm.* Curatæ indicium est, si liquoris limpidi ac tenuis albumen ovi referentis una alterave guttula compressione penis evocatur. *Idem.* Bulla crystallina sive præputii œdema ad gangrænam tendit, ni proxuma feratur cura. *Platn.* Inflammatio colis ingens brevi & facile in gangrænam exin sphacelum, abit; *Boerh.* qui si non undiquaque, sed glande magis tenus insidet, auxilium aliquoties habet in abscissione tempestiva, uti pariter balani cancer verus; sed cavendum hæmorrhagiæ. Verrucæ veretri venereæ digitiformes, unguibus munitæ, leguntur in *Satyr. Med. Siles.* Ulcera ani venerea pessima omnium

nium & curatu difficillima. Testiculorum inflammatio propter doloris tyrannidem partisque naturam non sine periculo est; testiculus periclitatur scirrho, scroti cellulosa substantia gangræna; facile abit in abscessum aut sphacelum, hominemque modo vita modo virilitate privat, vel transit in scirrhum atque cancrum, utplurimum lethiferum, vel denique sarcocelen aut hydrocelen, affectus graves; suppuratio misera est; si scirrhescunt, cancer facilis est, satiusque exscinditur, ubi hic incidit metus. *Boerh.* Tumorem testium venereum chronicum novi febre resolutum plenarie, antehac Panaceis mercurialibus perperam à Medico exceptum. Bubones venerei qui minus dolent tardius suppurantur; glandula etiam nunquam citius scirrhescit quam sub Lue fœda. *Boerh.* Bubones suppurati qui nimis cito clauduntur, facile scirrhescunt & dein sæpius cancrescunt. Bubones non raro intumescunt si gonorrhoea male curata fuit, & virulentus humor celerius suppressus. Si extra hunc casum bubo accedit gonorrhoeæ, malum exasperatur, periculosiusque exin evadit. Ulcerascentes insignes corruptiones sinuosas, fistulosas, erosiones, sibi relicti formant. *Carl.*

Si diuturni jam facti introrsum discutientibus pelluntur, ni gonorrhoea libere prorumpat, luem ipsam inducere valent.

Ven-

Ventriculi, œſophagi & inteſtinorum ægritudines reliquæ.

Cùm ventriculo & inteſtinis privatus capitis cutisque eſt conſenſus.

Sanguis in ventriculo putreſcens, febres graviſſimas, pericula à ſumto veneno majora, creat. *Zech. conſult. Carl.* In ventriculum & partes vicinas, maxime ſi cibi ingeruntur fermenteſcibiles potiſſimum, gravis eſt iracundiæ tyrannis. In morbis complicatis delirium conjunctum ventriculum pro parte primaria affectum oſtendit. *Bagl.* Qui male digerunt, male tranſpirant. In ventriculi morbis chronicis, licet cetera ſigna bona ſint, nunquam tamen certa eſt ſalus, niſi lingua bona ſit. Qui cotidie ſordidos viſcidosque dentes habent, licet eos quotidie abſtergant, plurimum ſunt ſtomacho debiles, male digerunt, ore fœtent, ſunt ſomnolenti, mœſti, poſt prandium capite dolent.

Ventriculi inflammatio magis familiaris eſt feminino ſexui quam nobili. Si ſub febrili ſtatu præſente rerum nimium calidarum ore ſumtarum nulla in ſtomacho percipiatur caliditas, bene cogita ejusdem adeſſe inflammationem. *Bagl.* Par indicium in continuis præbet ſeri in faucibus confluvium. Non totus ſemper inflammatur, ſed tantum pars; peſſimum, ubi pylorus. Levior aliquando evenit in variolis, morbillis, diarrhoea, dyſenteria, cholera, ictero nigro &c. Mitior eſt, quæ à potu frigido

gido æstuanti corpori ingesto, vel ex bile; gravior, quæ à venenis, emeticis, purgantibus drasticis; pessima, quæ in senibus, cacochymicis, sub acutarum itidem finem. Vel lentius vel celerius progreditur. Post venenum & in sensibilioribus citissime fit ac decurrit. In phlegmaticis, senibus; si ex iracundia, refrigeratione, lentius serpit, necatque d. 7. 10. & tardius quoque. Succedentem sphacelum indicant: frigoris in præcordiis sensus; summa debilitas; pulsus languidus, intermittens; singultus; vomitus; regurgitatio potus; crebra seri ex ore cum impetu quodam effusio; facies Hippocratica; animi deliquium, emotio ejusdem; artuum convulsio. An abscessus in ventriculo, omento, intestinis, mesenterio, pancreate, dictu arduum, anceps. Post assumtum purgans vomicæ sæpe rumpuntur, & forte certior dein fies, ubi sit sedes. Apostema ventriculi quandoque curatur excreta purulenta materie per vomitum, diarrhoeam, quandoque per ombilicum dato exitu. *Meibom.* Ventriculi vomicæ inter medias ejus tunicas aliquoties latent, & diu quidem, donec lento fato conficientes, demum cognoscantur. *Piso.* Si summa anxietas & vomitus cibum excipiat, idque medicamento acri salino vel spirituoso exasperetur, tabescat corpus, celer semper sit arteria, extrema rigeant & quandoque horreant, somnus parvus ac laboriosus fiat, de ventriculo cogita exulcerato; hi 3, vel 4. mense demum moriuntur. Hydrops ventriculi tempestive ruptus, aquis evacuatis feliciter, ali-

quando

quando curabilis eſt, illæſis ceterum viſceribus. In ventriculi ſcirrho animi deliquia frequentia ſunt. *Ruyſch.*

Inflammatio muſculorum pharyngis peracutum eſt malum, laryngem enim in συμπαθειαν trahit, œſophagum totum, ventriculum; ſi per μεταςασιν malignis, petechialibus, dyſenteriæ in ακμη jungatur, necat plerumque.

Oeſophagi ſpasmus in acutis & chronicis ſæpius obvenit ægrimoniis. Frequentius accidit in hypochondriacis & hyſtericis, incautis anginam plus ſæpe imponens. In acutis gravis eſt momenti, in diuturnis mitioris plerumque. Idiopathicus in habitualem facile degenerat. Qui ab acrioribus metum incutit inflammationis. In hyſtericis frequens annunciat apoplexiam. In vulneribus malus. Si ex iracundia inter epulas, viam ſternit febribus bilioſis & choleræ. Si ex dyscraſia ſuccorum, chronicum eſt malum, tandemque tabes ſuccedit. *Hoffm.* Oeſophagi paralytica ατονια & reſolutio quæ in acutis & malignis circa d. 7. 9. incidit, extreme periculoſa eſt, facileque ſic & ventriculum & inteſtina adficit, unde & illa fluctuatio ac murmura à ſumto potu. Quæ ex decubitu ſeri ætate in decrepita, accedente animi affectu ex facili letum infert. Gulæ paralyſis eſt malum periculoſum & raro curabile. Struma œſophagi ex inedia tandem interficit; extenditur ordinario ad ſesquiennium; aliquando citius terminatur; ſic pereuntes aliquot diebus ante αφωνοι fiunt. *Mauchart.* Abruptio œſophagi, ruptura ventriculi, letales

ſunt;

ſunt; illius momentoſum deſcribit exemplum ſpeciali tractu *Boerhaavius*. Ex ulcere œſophagi in dies marcescit corpus; facilius ſolida quam liquida deglutiunt ægri; facilius circa principia paſtus quam in fine. *Brunner*.

Oeſophagi compreſſio à tumoribus, coaleſcentia, necat inedia. Spina piscis gutturi infixa, triennio poſt excitato abſceſſu in externa colli parte extracta legitur apud *Hildanum*.

Inteſtinorum inflammationes ſenibus ſunt frequentiores quam meningum. Sæpe imponunt doloris iliaci nomine. Solvitur diarrhoea ſubcruenta, bilioſa. Abit in diarrhoeam purulentam, gangrænam, ſcirrhum, ulcus cancroſum, dyſenteriam acerrimam. Abſceſſus inteſtinorum quandoque creantur per virulentam gonorrhoeam & lumbricos effractores.

A muco ſtomachali, inteſtinali durato, pure, bile generantur, exoriuntur molæ, calculi, polypi, vaginæ &c. ventriculi ac inteſtinorum; ex quo fabula de ovis ab hominibus excluſis. *Comm. lit. Norimb.* Molæ hæ vermibus aliquando prægnantes ſunt.

Inteſtinorum ſuſceptiones non ſemper graves letalesque ilico adferunt læſiones, ſed pari modo ut in herniis diu tolerari poſſunt absque præſentaneo damno, etſi non ſine periculo in horas imminente; quod tamen potiſſimum de illa valet, ubi portio inteſtini ſuperior inferiorem ſubintravit, & contra. Inteſtinorum mutuos ingreſſus ſubſiſtentes ſuſpicator, ubi quis poſt colicam graviorem vel iliacum affectum eo redigatur, ut niſi alimenta humida perferre

non

non possit, & corpus interea non satis nutriri, quin potius lente pedetentimque consumi videatur; ubi porro in loco uno abdominis fixam sedem retinet dolor ac perseverat, sub aliis iliacæ passionis signis, & is mitigatus quidem indentidem mussitans & recrudescens perstat, nec hernia præsente iliacæ passionis frequens & facilis est relapsus. *Schoder* de intest. mut. ingress. Diss. Altdorf.

Vermes ventriculi & intestinorum.

Lumbricos non modo latos sed & rotundos in pueris, dum adhuc in utero sunt, nasci, quia aliquando cum recens natorum excrementis visi sunt excreti, testatur magnus *Hippocrates.* Vermes non semper noxii sed interdum utiles ac necessarii sunt, in infantibus potissimum ἀδδηφαγοις. *Cleric. hist. lumbr.* Nullum tam peregrinum est symptoma tamque δαιμονιακον quod vermes excitare non possint. *Pechlin.* Vermes varie mentiuntur hæmorrhoides & dysenteriam, ascarides motus hæmorrhoidales, sæpius quovis mense luna decrescente revertentes. *Juncker.* Lumbrici communiter in ventriculo & tenuibus hospitantur. Suspicio eorum est, si puer frequenter manu ventrem contrectet; urina sit lactescens, fœtida; in somno sæpe expavescat & dentibus stridat; pane delectetur; anima ipsi male oleat; irregulari febriat tempore; os sic formet quasi

mammæ teneat papillam vel devorare quid videatur; jejuna urgeat ſiticuloſitas; palleat; nutritio ſit vitiata; alvus ſit varia; colis dolor, urinæ incontinentia; appetitus cibi magnus; ſi circa veſperam inprimis ægrius habeat; gingivarum eroſiones diu perſeverantes (*Hild.*); ubi præter rationem Sopor ſive Subeth; gradiendi impotentia, titubatio, temerarius quidam impetus & inordinatus motus; αφωνια incidat &c. Ex morum ſubito & improviſo mutatorum ſcena facilis eſt de vermibus conjectura. *Pechl.* Certiſſimum autem habe ſignum, ubi corpus delicti adeſt. W. *Wedel.* In febribus de lumbricis cogitandum eſt, quoties illæ quoad alia ſigna ſatis mites videntur, nilominus tamen extremitates adparent frigidæ; diarrhoea non nimia ſed intempeſtiva excitatur; ſanguis è naribus ſtillat; ιφιδρωσι corpus madet, & ſigna quaſi pugnantia occurrunt. In morbis gravioribus, acutis, in principio, ακμῃ vermes prodire, tam vivos quam mortuos, potiſſimum ſi ſoli exeunt, & κατω ſine ſtercore, malum, atque ſub aliis malis ſignis, morituros indicant ægros, maxime ſi frequens ac frigidus adſit anhelitus; in declinatione morbi cum excrementis exeuntes & jam coctione apparente, bonum. Solvuntur omnis generis quandoque febres pluribus expulſis vermibus. Si per vomitum in acutis rejiciantur, aliquid mali utplurimum promittunt; mortui ſi exeant ſine datis anthelminticis, periculum portendunt. In exanthematicis febribus ſi ſe vermes immiſcent, multum mor-

bi

bi turbatur decurſus, quin in pueris animi deliquia, mors ipſa, accerſuntur. *Hoffm.* Vermes rubri per ſuctionem ſanguine repleti febres facile lentas inducunt. *Junck.* Lumbrici variegati coloris ſunt pejoris notæ. Sæpe conſequitur vermes φθισις. Perforant aliquando inteſtina, ventrem, (herniam producendo incompletam) umbilicum, vel per ſe vel cum abſceſſu juncto prius. *Schulze.* Syncope à vermibus ventriculi pueris frequens eſt ac fatalis plerumque; prodeunt brevi ante mortem in his per os. Apoplexia pluries corripiuntur infantes verminoſa, fatali pluries. Tæniæ nondum cognitæ adhuc quandoque vita privant. Curatu ſunt difficillimæ. Minus in longis periculi quam in latis. Prægrandes hi interdum ſunt (tænias ſive πλατυ quoque dicunt); Spithamas 120. habentem meminit *Hildanus*.

Solitarius lumbricus, dicunt ſolium ſeu rectius ſpolium (ſolitaire), verus eſt, ſed bene rarus. Aſcarides gens puſilla quidem, ſed expugnatu difficillima eſt. Renaſcuntur modo. Puncturæ & dolores cordis ſub reſpiratione, conjuncta ſimul convulſione, de verme ad cor ſuſpicionem movent. Varioloſi vermes à varioloſis excreti notantur. *A. N. C.*

Vertigo.

Vertigo ſæpius eſt prodromus apoplexiæ in ſene, in juvene epilepſiæ. Vertiginoſi affectus frequenter præcedunt vel ſequuntur colicam ſpasmodicam. *Hiſt. morb. Vratisl.* Idiopathica gravior eſt ſympathica metumque habet apoplexiæ, ſoporoſorum affectuum, guttæ ſerenæ. Quæ à remanente purpura; à vermibus; primarum viarum cruditatibus, acrimoniis, flatulentiis; quæ in hypochondriacis, hyſtericis, ſcorbuticis; jejuno ſtomacho obvenit, ſympathica eſt, remediisque cedit, aſt facile recurrit. Caduca eſt graviſſima, & levioris apoplexiæ ſpecies. *Hoffmann.* Quæ in gravidis, debetur alvo obſtructæ vel plethoræ, bene ergo corrigibilis.

Vertiginoſi non raro ſponte vomunt cum εὐφορίᾳ & optime per emeticum curantur. *Williſ.* Cum vertigine ſæpe arthritici nephriticique affectus ſunt complicati & alternant. *Hoffm.* Qui ſemel correptus apoplexia, ſit poſthæc denuo vertiginoſus, novos expectet inſultus. *Waldſchm.* Vertigo non raro in apoplexiam, (maxime ex arthritide, podagra regreſſa) vel paralyſin, aut in morbum convulſivum, epilepſiam tranſit. *Williſ.* Solvitur ſæpe hæmorrhoidali fluxu; (ſi ex hoc ſuppreſſo apoplexiæ metus eſt) hæmorrhagia; capitis dolore (*Lal. à Fonte*); auribus manantibus; vulnere capitis; (*A. N. C.*) vomitu; diarrhoea, &c.

Vigi-

Vigiliæ nimiæ.

Vigiliæ in assuetis minus periculi habent. Sæpe eveniunt in hypochondriacis & hystericis, sanguine per spasmos ad caput cumulato. Quæ ex quisquiliis in primo latitantibus canali, fomitem habent corrigibilem. Vigiliis in acutis si delirium vel convulsio superveniant, malum. Pervigilium febrile summum fere semper sequitur coma, hoc apoplexia. Vigiliæ in morbi augmento vel statu cum signis coctionis adparentes bonæ; facta crisi tranquillitas sequitur. Pessimum est, si somnus neque noctu neque interdiu accedit, id enim ob dolorem laboremque accidit, vel delirium fore significatur. Somnus & vigiliæ si modum excesserint, malum. *Hippocr.* Immoderatæ vigiliæ in juvenibus magis periculosæ, somni in senibus. Maniaci & melancholici longissimas vigilias continuantes sine insigni virium debilitate perferunt, ut ultra annum extensas legas. *Boerh.* Plurimis unæ sunt ac perpetuæ toto morbo vigiliæ, v. g. podagricis arthriticisque, nec nisi cum morbo mutandæ, adeo harum ingenio vehementiam aut lenitatem æstimare solemus. Et incredibilia sunt vigiliarum exempla. *Pechlinus.*

Ulcus. Fiſtula. Furunculus.

Vlcus ſanari nequit, niſi prius naturam vulneris acceperit. Abſceſſus in ulceris indolem verti noscas, ſi eorum ſuperficies pallescit, livescit, pruriginoſo ardore moleſtatur, ſaniem decolorem, tenuem exhibet. Malum ulcus eſt in quo varices, cui dura & decolora labra; cui tumores renitentes & duri; in quo à forti pulſu ſanguinis profuſio; quod morbis ſuccedit; quod chronicum; in ambitu glabrum; quod cum pravo corporis habitu vel viſcerum labe; quod cum multa vigilia, dyspnoea, ſiti, inappetentia, febri, pure malo, nigro, feculento, fœtido; peſſimum, quod cum animi defectione. Ulcera longius ſerpentia partesque vicinas exedentia (talia ſæpe fiunt ex mordacibus medicinis imprudenter vulneribus ſuperdatis) plus alunt periculi quam ſimplicia. *Hoffm. Platner.*

Difficillime ſanantur inveterata, putrida, rhevmatica, fiſtuloſa, calloſa, carioſa, cancroſa; porro, quæ in articulis, malleolis, tibiis, partibus tendinoſis, membranoſis, nervoſis fiſtuloſa vel carioſa; æque ulcera linguæ, aurium, narium, faucium, parotidum, glandularum maxillarium inveterata; quæ cum cachexia, ſcorbuto, malo venereo; quæ à variolis relicta, facileque hæc ipſa cacoëthea fiunt, quin cum oſſium carie inſurgunt. Chronica, cum conſuetudine inveterata, non absque periculo perſanantur, dum fonticuli gerunt naturam,

turam, maxime in senibus, ulcera facile creant interna, potissimum in pulmonibus, vel invehunt periculum apoplexiæ, asthmatis, catarrhi suffocativi, viscerum inflammationis, tabis, hydropis &c. Ex ulceribus crurum antiquis consolidatis attendi hæmoptoën, alia vice hæmorrhoides symptomaticas, iterum uteri hæmorrhagiam, porro hemiplegiam & ἀφωνίαν; cuncta percurata. Quicquid in corpore commotionem subit ad locum ulcerosum affatim & quasi peculiariter statim dirigitur, confluit, ruit; quin in posterum consolidato licet ulcere talis locus rhevmatibus, congestionibus, quin ipsa redeunte ulceratione ilico occupatur.

Ulcera à causa interna v. g. hydrope, scorbuto, cachexia, senio, difficillima. Feminæ si menstruæ remanent, aliquando ex ulcere quod habet, maxime femoris vel pedis, tanquam è fonticulo emanat salutariter cruor, mutato itinere.

Intolerabilis odoris fœditas os vitiatum indigitat, inprimis indice & specillo. Ubi os subtus corruptum est, ulcera facile rursus disrumpuntur, cicatrice inflammatione lacessita, & talia ad fistulam inclinant. Ulcus cum putrefactione quandoque in sphacelum vertitur emortualem. Tumor ulceris subito occultatus febrem, pleuritidem, insaniam, convulsionem ingignere potest. Juvat cita heic alvus.

Ulceribus fœdis si supervenit cardialgia, letale. Lividitas, nigredo, pallor, ariditas, siccitas in ulceribus, maxime antiquis, gangrænam, sphacelum, mortem adesse nunciant.

Ulcera glandularum ſunt rebellia, & licet conſolidata, ex leviſſima iterum cauſa facile dilacerantur. Ulcera faciei, uteri, ani facile degenerant in fiſtulas. Urethræ ex gonorrhoea ulcera libenter ingignunt cicatrices, carunculas nominant vulgo. Pus fertur ex ulcere quod proxime coit, ſanies ex incipiente atque crudo, ichor ex maligno. Sanies utilis quæ non multa, modice craſſa, ſubrubicunda aut ſubalbida, & contra peſſimus ulceris humor eſt, qui nimium tenuis, rodens vel craſſus, glutinoſus, lividus, niger & qui male fœtet. *Platner. Schelhamm.* Nimia ulcerum ſuppuratio vel ſanies facile invehit tabem, æque, nimis cito perſanata ulcera, fiſtulæ.

Si in ulcere fiſtuloſo caro ſola eroſa eſt, pus bonum copioſe fertur; ſi locus nervoſus, pus laudabile tenuius & minus: ſi à vagina nervorum, pingue cum dolore manat: ſi vena affecta, cruor ſubinde miſcetur puri: ſi os læſum, tenuis inde liquor. Omnis fiſtula difficillime ſanescit, præcipue vetus, quæque profunda & multum ſinuoſa. Pertinax & periculoſa eſt adultior; ad interiora pertingens; quæ ad muſculorum tendines, nervos, arterias, venas, cartilagines, membranas, oſſa, articulos; quæ in ſcorbuticis, ſenibus, cachecticis; quæ ad pulmonem, vulvam, pectus, ad oculi canthum, vaſa magna, inteſtina, veſicam, urethram, & quæ poſt lithotomiam in perinæo; quæ anguſto foramine prædita. Spes irrita ſimplicis ſanationis, ſi os carioſum vel callus remanet. Majorem ſpem relinquit nec

ita

ita periculosa, quæ extrinsecus spectat; simplex, recens ac quæ intra carnem; quæ in juvene ac robusto corpore; quæ ampliori foramine prædita. Si ex ulcere fistuloso plus materiæ fertur, quam quod ei convenit, scire licet plures intus sinus esse. *Platner.* Longæve sunt si lapides ex iis excernuntur, vel vermes istis innidulantur; si hæmorrhoides per fistulam recti, si catamenia per uteri excernuntur. *Hoffmann.*

Ulcus fistulosum in parte glandulosa semel invento exitu incoërcibile fere manet. Fistulæ thoracis facile costarum cariem adferunt. Lumborum ad renes penetrantes quandoque, ut vidi, ad multum tempus, mediocriter valente ægro, perdurant. Ventriculi & intestinales ad extra, quandoque ad longos circumferuntur annos. (*Vid. Wencker. Diss. Argent. de virgine ventriculum per 23. annos perforatum alente. Schenck. obs. med. rar. Vater.*) Umbilici & epatis & mesenterii abscessus gignere fistulam illustri notavi casu, tandem funesto. In fistulis ani altioribus incisis periculum est ingentis profusionis sanguinis. Quæ post male suppressam gonorrhoeam in perinæo nascitur, plerumque ad prostratas, penis cavernosa corpora, urethram ipsam tendit, sanatu difficillimum malum. Nisi digitus in anum depressus fistulæ os attingere valet, manum de opere; æque si rectum valde tenue deprehendatur. Quæ in venereo morbo, ægris non tollitur, nisi lue fœda sublata prius. *Heister.* Furunculus superficialis est, anthrax profundius in-

trosum hæret. Furunculorum & scabiei crebra est vicissitudo, quin unum altero solvitur. Si furunculus major tardius maturetur, oritur diffusior corruptio in albam & tenacem materiam. Si locus furunculi mundificationi sit minus aptus & diu persistat antequam vel suppuretur vel pus suum emittat, subsequitur aliquoties fistula v. g. ani hæmorrhoidalis. Ubi suppuratio non rite succedit, in sphacelum proclivis est vel ad fœtidam suppurationis depravationem. *Carl.*

Vomica.

Conf. loci de Pleuritide & Peripnevmonia, de Inflammatione interna, abscessu &c.

Vomicæ per plures quandoque annos, etiam prægrandes, sine reliqui corporis noxa durant. In vomica reparatio est facilior, quam in alio ulcere segniore salso-seroso. Vomicæ omnes cognoscuntur per rigores & febres de novo supervenientes; pulmonum clanculum quandoque supervenit, ut ab initio vix ulla sui proferat indicia. *Bagl.* A tumoris (vomicæ) intus ruptione fit exsolutio virium vomitus, & animi defectio. *Hipp.*

Vomica epatis, pectoris, mesenterii per diarrhoeam subortam, urinas, aliquando curatur. Si in jecinore vomica est, exque ea fertur pus purum & album, v. g. per alvum, salus ei fieri potest, & contra. Rarius renum vomica uno impetu erumpit. Vomica pulmonis

nis interdum in renum vomicam mutatur. Interdum pus è pulmonibus in eppoon deponitur. Febris pneumonica circa dies κρισιμȣς non ſoluta, vomicam pectoris notat futuram. Naſci ſolet eo loco pectoris vomica, qui ab initio affectus fuit acuto vehementique dolore. In ſuppuratione pulmonis non expurgata hypochondrii tenſio ſuperveniens opinionem facit abſceſſus cruralis. *Hippocr.* Tabidos quoque maxime & hæmoptyicos exercet vomica. Si quis tuſſiendo alba quædam granula veluti exſcreaverit, & granula illa digitis compreſſa ſummopere fœteant, vomicam pectoris latentem certo denunciant, præſertim ſi alia quoque aderint ſigna; hi rupta vomica utplurimum derepente moriuntur. *Bagl.* Si ne rupta quidem vomica vel pure extrinſecus emiſſo, febris quievit, aut quamvis dimiſerit, tamen repetit; ſi ſitis, cibi faſtidium, venter liquidus; ſi pus eſt lividum & pallidum, aut ſi nil æger exſcreat quam pituitam ſpumantem, periculum certum eſt. Vomica diu in pectore ſine ruptione perſiſtens cum ſudore frigido, frigore extremorum ac lipothymiis conjuncta, letalis eſt. *Juncker.* Spiritus multo ante quam rumpitur vomica, male olet. Ruptio vomicæ ex pnevmonica febre fit plerumque intra XX. dies, aliquando citius, aliquando tardius ad 60. usque diem, ſi non omnis exſcreationibus tollitur, tabes accedit vel præfocatur; ubi rumpitur, horror fit ac vehementior febris, offenditur inſpiratio, hominis robur quaſi labi videtur. Servatur criſi homo, ſi materies per urinas,

nas, alvum, ſputa exturbatur: metaſtaſi, ſi ſcirrhi vel tubercula pulmonum ſuccedunt, quod fit, ubi multa pituita juncta. *Lomm.* Abſceſſus ad aures & pedes æque juvant. *Hippocr.* Vomica ubi cito disrupta & in cordis arcem lapſa, celere ac inopinatum adfert exitium.

Vomitus multiplex.

Criſis per vomitum in acutis ſignificatur, ſi toto capite gravi ac vertiginoſo oculisque caligantibus, anguſtis præcordiis, adficitur doloris morſu ſtomachus & crebro nauſeat, idque cum ore fere amarescente & multæ tenuisque ſalivæ ſputo ac labri inferioris tremore; indicatur porro per rigorem extremorum remiſſum ſive algorem, urinam crudam, limpidam, alvum ſicciorem. *Lomm.* Vomitu ſi levetur vel ſedetur anxietas febrilis, bonum; ſi augeatur, malignum. Anxietas vomitum criticum vel aliam criſin ſæpe antecedit. *Alpin.* Hypochondriacis accedentes vomitus, tam cruenti quam non cruenti, ſæpe ſalutares exiſtunt: modo non ſint nimii nec diutini. Commodus & utilis eſt vomitus, ubi pituitæ bilis permixta eſt flava exquiſite, isque nec valde craſſus eſt nec admodum copioſus. Evomitiones ſpontaneæ ac faciles, ex quibus juvamen atque levamen, ſemper ſalutares. Vomitus diarrhoeam ſiſtit longam, Solvitur diarrhoea & ſudore vomitus. Æruginoſus tollit quandoque mentis errorem. Impedit ſummopere tranſpirationem vomitus.

Malæ

Malæ sunt vomitiones in colica, iliaca, nephritide, inprimis quæ nimiæ nec causam mali tollunt, in herniosis, hæmoptyicis, phthisicis; quæ ab inflammatione partium vicinarum, venenis, excoriatione, ulcere; si sitis expers is sit, qui eadem necessario prematur; parvæ & frequenter repetentes; biliosæ sinceræ in copiosa ventris subductione & intenso lumborum dolore, aut si pervigilio premuntur ægri & nasus sanguinem stillat &c.

Perniciosi sunt vomitus putridi, fœtidi, æruginosi, lividi, sanguinolenti, purulenti, nisi in tempore ac confertim cum sublevatione ægri contingant in acutis atque longinquis morbis; qui vulneribus capitis superveniunt nimii & biliosi præprimis; omnis vehementior (quique excitare quoque valet ramices, abortum, rupturam visceris); qui à vermibus ventriculi, maxime, si ejecto uno vel altero mortuo gravissima symptomata mox simul & semel silent; qui assumta cuncta ilico excipit in acutis; qui cum incontinente corporis jactatione; si sincera vel etiam omnes colores vomant, maxime parva quantitate; si ex delirio; si superaccedat singultus ac oculorum rubor. In febribus, acutis maxume, fatum est extremæ ac desperatæ salutis vomitus cruentus, niger, lividus, æruginosus, porraceus, graveolens, cum vermibus, cum singultu, lipothymia, convulsivis motibus &c. Si in febre acuta æger perpetuo vomat, ut nec à V. S. nec à clysmate nec opio cedat, semper causa erit intestini intorsio. *Ruysch.* Quoties ex vomitu anxietudo occu-

pat,

pat, vox ſtridula eſt, oculi pulverulenti, inſania portenditur, talesque facti *αφωνοι* intereunt. *Hipp.* Vomitus æruginoſus, viridis phreneſin prænunciat in capitis doloribus cum ſurditate ac inſomniis; vel præter hæc aliam inflammationem. Largus, bruneus in lentis accidit ex duodeno atonico, ſaburræ ſede commoda. Qui macilentos ſæpe poſt paſtum adfligit, facile ad hecticam deducit.

Chronicus cotidianus cum lento æſtu ac tabescentia ulcus ventriculi arguit; aliquando epatis. Quo graviores intermittentium ſunt rigores, eo vehementius adfligunt vomitus juncti. Vomitus matutini ad ſerotinas compotantibus horas non infrequentes ſunt. *Hoffm.* Vomitus à nimia cartilaginis xyphoideæ laxitate medelam habet. *Decker in Barb.* Vomimitus nigrorum qui poſt chronica mala hypochondriaca ſpem adhuc relinquit; qui in acutis funeſtus; qui in partu difficili cum fœtore intolerabili, periculoſus. Vomitus cruentus raro per ſe eſt letalis. *Buchn.* Qui à violentia externa, pejor. In feminis menſtrua tempora & in viris æquinoctia utplurimum ſervat. Apud feminas ſponte crebro ceſſat, non item apud viros, ergo in illis quoque non tantum periculum timendum. Abit facile in conſuetudinem, & tunc in viris tabem, in feminis cachexiam communiter infert. *Carl.* In feminis facilius periodis, maxime ille menſium vicarius, adſueſcit quam in viris, & vago minus periculoſus eſt. Horrores erratici in vomitu cruento cruorem lente colligi teſtantur. Quicunque

cunque evomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare, ſi vero cum febre, malum, inprimis ſi cum dolore ad pectus, dorſum. Si ſanguis graveolens, ater, ſocia febre, prodit; ſi lien vel epar induratum; ſi animi jungitur deliquium, delirium, vocis interceptio, mortiferum. *Hippocr.* Longe autem certius eſt periculum, ſi ſeceſſus niger junctus. *Hoffm.* Frequens eſt cruoris vomitio hypochondriacis, male menſtruatis, ex hæmorrhoidibus anomalis, interceptis, poſt intermittentes maligne curatas. Ex hoc facile incidunt in febres lentas, hecticas, cachecticas; φθισιν, hydropem &c. Vomitus cruentus ex liene natus facilius recurrit & ad hydropem ducit. Qui à jecore, ſic nimius aliquando eſt, ut in ipſo vomitu æger moriatur. *River.* Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus, ſolutio fit. Hippocr. Idem valet de hæmorrhoidibus. In viris ex hæmorrhoidibus interceptis hypochondriacis redditis notavimus indemnes cruentos vomitus periodicos & vertiginem junctam gravem, ſtomachicam dixero, ſic ſimul depulſam. Ex lochiis retentis vel dyſenteria repreſſa qui eſt anceps, habendus. Cohibitus diſponit ad lienis inflammationem, vomitum nigrum, cachexiam, œdemata, hydropem, hecticam, affectum hypochondriacum, hyſtericum, melancholiam, colicam, icterum, ſcirrhos internos &c.

Sanguis in ventriculo in putrefactionem abiens febres acutiſſimas, pericula à ſumto veneno majora creat. *Zech. conſult. Carl.*

Uri-

Urinæ incontinentia,

Traditur supra p. 255.

Uteri morbi ceteri.

Est magna societas mammarum, vocis & genitalium. Mira est uteri cum artubus familiaritas.

Ubi cum statu febrili acuto abdomen dolet, ipsumque uteri os, admoto digito, durum occurrit, fervidum atque præclusum uteri cervicem inflamationem sustinere, bene judicabis. Hic casus aliquam curandi viam reperire potest; contra nulla est, ubi totum occupat uterum. *Lomm.* Uteri inflammatio multum habet periculi, tum autem maxime, cum mulieri primis à difficili partu diebus accidit. Frequens est puerperis sensibilibus, teneris, biliosis, potissimum ex lochiis remanentibus vel secundis, his quoque vi evulsis. *Hoffm.* Si lochia remaneant ac mulier queratur incendium ab inferioribus locis ad cordis usque regionem vergens, uteri adest inflammatio. Si magna vero anxietas, virium prostratio, inquietudo & omnis appetitus dejectio jungitur, accedit insuper internus sensus frigoris cum horrore, pulsus frequens, parvus ac debilis, visus incipit obscurari, sphacelus adest brevique mors. In puerperio inflammatio uteri facile in sphacelum transit & frequentissima mortis puerperarum causa est; extra idem

in

in suppurationem ac ulcus migrat, maxime, si fluor albus sanguinolentus fuit antea cohibitus. In his inflammatio in collo ac orificio interno plurimum oritur. *Hoffm.* Si abscessus uteri rumpitur inter spatia recti ac vesicæ, tumor circa inguina aut in perinæo extuberat. In abscessu uteri mammæ plerumque simul sunt affectæ, sinciputque extraordinarie dolet. Pus ex utero suppurato quin per screatum aliquando educitur. *Hoffm.* Uteri ulcus quandoque solvit diarrhoea purulenta. Abscessus uterini fistulosi libenter ob laxum fiunt contextum, quin cancrosi; curationis sunt difficilis, tabeque necant plurimum. Ex abscessu uteri facile fit ulcus, idque in sordidum, fœtidum, rebelle pluries migrare solet. Ubi id quod manat graveolentissimum, tenue, nigrum, fulvum est, de cancro cogita exulcerato, quo casu, ac si in cervice uteri noxa, labra ulceris prætumida tanguntur.

Ex ulceroso uteri statu scaturiunt mensium ἀταξίαι, abortus, sterilitas, hectica, mors. Uteri ulcera interdum ad rectum, interdum ad vesicam penetrant.

Fetus mortui, secundarum violenta extractio, puerperium infelix, frequentissimam ulceris uterini causam constituunt. Facile fiunt fistulosa.

Uteri scirrhum pluries indicunt varices extra graviditatem. Si inflammatio in scirrhum abit, quod in externa parte facile, in cancrum, insanabile malum, migrat libenter, maxime, ubi menses per ætatem cessant.

ſant. Uteri cancro affectis faciei color à naturali non recedit, ſed genas perpetuo roſeas habent; facile uteri profluvio cruento vel hectica extinguuntur.

Furor uterinus optimum juvamen ſolamenque habet in cohabitatione ſtrenua & fœcunda.

Uteri hæmorrhagia eſt maxime periculoſa in cacochymicis, ſcorbuticis, venereis, visceribus obſtructis, parturientibus, abortientibus, funiculo abrupto, ſecundis vi evulſis, æque ex parte tenaciter remanentibus, ex molis. &c. Hæmorrhagia uteri poſt partum ſecurior eſt quam poſt abortum. Diuturnæ pertinacis cauſa quandoque eſt prolapſus uterinus junctus. Si rupta aut patefacta intus grandior vena eſt, cruor profuſe effluit, ſi minor, paulatim nec multus fertur, ſi eroſa, paulatim & cum dolore manat, *Lomm.* Largæ polypos uteri facile relinquunt, qui ſæpe quid maligni, cancroſi in receſſu habent. Tympanites uteri viduas utplurimum exercet, aliasque quæ ætate jam provectiores nupſerant, item puerperas, hasque non niſi magno periculi metu.

Uteri hydropem quibusdam ſingulo menſe, nullo vitæ incommodo, eſſe expurgatum confirmat *Lommius.* In uteri ascite aquæ in gravidis potius ac extra impregnationem iter inveniunt. Uteri hydrope poſt conceptionem correptis fetus inter aliquot menſes abortu ejicitur. Quandoque etiam cum gravidatione vera conjunctus eſt. Ovaria occupans hydrops vix cognoſcitur, curatur nunquam; tranſit ſæ-

po

pe in ascitem; utplurimum ſteriles ac annoſas obſidet.

Uteri prolapſio, inverſio completa, (quod tamen rarius incidit) cui non mox lata auxilia, vix non ſemper funeſta eſſe ſuevit. *Comm. lit. Nor.* Contra, uteri procidentia ex ligamentorum culpa, incompleta, vaginalis tunicæ relaxatio, recens & in junioribus eveniens, ſpem felicis promittit curationis, non item, ſi inveterata; pariter, ſi in adultis, cacochymicis; ubi ſcirrhoſus jamdum vel ulceroſus vel cancroſus uterus vel vagina. Vaginæ uteri tunicæ relaxatio, prolapſus, ultimis graviditatis menſibus aliquando plurimum ſponte reſtringitur à fetus augmento in altum & latum. *Pechlin.* Singulare obſervatum eſt de uteri prolapſu cum ejusdem inverſione extra puerperium per terrorem orto. *Heiſter.* Uteri prolapſi quin inverſi exſectio non ſemper letalis eſt. *A. N. C.*

Sarcomata uteri propendentia pluries feliciter exſcinduntur, contra polypi. *Vater.*

Vulnus.

Naturæ in ſanandis vulneribus incredibilis eſt potentia, & fingi nil tam peregrinum poteſt, quod non aliquando ipſa procurante fuerit ſanatum. *Pechlin.*

Vulnera cordis penetrantia, auricularum ejus, majorum arteriarum vel venarum; ſi trachea abſciſſa; vulnera cerebri ac cerebelli ad medullam usque profunda; partis tendineæ

diaphragmatis; truncorum majorum nervorum; medullæ spinalis penetrantia; arteriæ vel venæ ob situm inaccessa; thoracis lata & ampla; *magna* pulmonis, hepatis, lienis, renum; mesenterii ad arterias & plexum nervosum; stomachi maxime ad pylorum, intestinorum ad nervos & vasa majora; uteri in gravidis; pericardii; paris vagi & intercostalis; vesicæ urinalis circa arterias majores; vesiculæ felleæ, thoracici ductus; abscissio, ruptura œsophagi &c. pro absolute letalibus nec arte sanabilibus denuncia. Pro ex accidenti vero letalibus edicito vulnera ἐγκεφαλȢ terebra levanda; vulnera arteriæ venæve majoris, viscerum, ad quæ manus Chirurgi & remedia cum effectu sanationis pertingere queunt; ubi porro extravasata è cavo educi possunt sine vitæ discrimine, alias mortem inferentia, v. g. thoracis, abdominis, vesicæ urinariæ &c. vulnerationes quædam. *Boerh.* Accidentia hæc fluunt ex neglectis vel vulnerati vel curantis vel adsistentis officiis, tandem individui corporis pravitate. To utplurimum letale nullitatem habet.

Temporis longior aut brevior decursus à vulneratione ad mortem usque pro determinanda letalitate nil quidquam facit. Tutissimum vulnus est quod rectum, quod in carne, discissum, non collisum. Malum, ex quo quid exscissum, aut alia parte abscissum, alia dependet; rotundum pessimum. *Lomm.* Vulnus citissime sanescit vere, tardius æstate atque hie-

me,

me, tardiſſime autumno. Gravis febris, dolor acerbior, convulſio, ſingultus, mens turbata, paralytodes, vomitus, dejectiones cum inquiete, ſudores frigidi, mala.

Nimis intumescere vulnus, periculoſum; nil intumescere periculoſiſſimum. *Celſ.* Febris perniciosa eſt, quæ vel levi vulneri ſupervenit, vel ultra tempus inflammationis durat, vel delirium movet, vel ſi nervorum rigorem aut diſtentionem quæ ex vulnere orta eſt, ea non finit. Ex ſtatu vulneris judicatur febrem eſſe letalem, ſi nempe iſtud valde eſt exſiccatum, partes flaccent, color eſt lividus. In vulneratis fibrarum muscularium leviculæ palpitationes cum ſpasmo ſæpe confunduntur. *Pechlin.* Alvus compreſſa vulneratis nocet.

Cruor ex vulnere fertur vel jam ſanescente vel crudo; optimus idem, ſi non tenax, ſed modice craſſus, calidus, rubens.

Si homini qui gravi ſanguinis profuſione exhauſtus & diu quaſi intermortuus jacuit, intra 24. horas calor & pulſus redit, ei ſalus contingere poteſt. Qui ex vulnere ſubinde rigentes ſanguinem profundunt, ii maligne habent, ac inter loquendum derepente moriuntur. *Hipp.* Oedema ſi vulneribus accedit, pus prohibetur. *Platner.* In vulneribus nuper illatis ubi quædam partes reſolvuntur, haut procul abeſſe exitium edicas.

Pus in vulnere bonum eſt, ſi craſſum, albidum, læve, æquale & modo vulneris &

tempori conveniens, nilque olet; malum, quod tenue, serosum, magisque si ab initio pallidum, lividum, fœtidum.

Meliceria improbatur multa ac præcrassa, & contra. Si in vulnere paucus & tenuis humor, ariditas, malus color, simul febris ingravescit cum vigilia, cephalalgia, deliris sermonibus, alvus si est sine causa crebra & liquida, urina cruda & frequens, pus resorptum significatur; ex quo vel cita mors vel lenta tabifica.

Plus inest periculi plagis minoribus quam grandioribus si in cavitatem eant. Omnis in sanandis glutinandisque vulneribus opera inanis est, quamdiu abditur intus peregrinum irritans.

Capitis vulnera mira sunt, nunquam tuta & in nullo alio genere vulnerum signa futuræ salutis vel mortis adeo incerta ac in iis, quæ in capite sunt. Is, ubi omnis spes tollitur, conservatur, & contra alter perit, qui ab omni periculo abesse videtur. *Platn.* Vidi vulnera cerebri cum deperditione substantiæ larga, non letalia. Plagæ quæ occipiti inferuntur, quidem periculosiores sunt, haut tamen semper ex iis mors sequitur; & cerebelli corticis particula notabilis ablata, superstite ægro, notatur *Platnero.* In vulneribus capitis pessima convulsio, *ἀφωνία*, stupor, cranii nigrities, lingua pustulis nigris obsita, (*Bohn. de renunc. vuln.*) dysenteria, diarrhoea,

rhoea, urina subjugalis, inquinamentum venereum. Vulneratis quoad cerebrum, εγκεφαλον, nervos, maxime pestifera est venus. *Hildan.* Et nuperrime bene consolidata capitis vulnera consequuntur gravia sæpius numero pathemata quin mors ipsa, affectibus animi excitatis. *Hildan.* Mala indicia quæ protinus capitis vulnera insequuntur, à cerebri commotione fiunt; quæ brevi spatio interposito eveniunt, ab extravasatis sunt. Ubi vehementius concutitur & commovetur εγκεφαλον, subita quandoque excipit mors, extus nullo præsente læsionis signo. Cerebro concusso succedunt vomitus biliosi, ἀφωνια, febris, sine sensu quasi dormiens jacet æger. Si concusso capite aurium sonitus intensus perstat, vel hæmorrhagia incidit vel parotides excitantur vel ad spinam ardore consequente, expectanda diarrhoea vel in feminis menstrua. Capitis vulneribus, læsionibus facile superveniunt epatis abscessus. *Ballon.*

Capitis vulnera periculosa magis sunt in plenilunio quam in novilunio. *Bagl.* Quibus tempora vulnerantur, secantur, quod semper periculosum, iis ex adversa parte convulsio fit. Oculi vulnera ob vicinum cerebrum tuta non sunt. Palpebrarum vulnera, collisa maxime, non secura habe; post aliquot horas letale meminit *Bonnet. sep. anat.* Superciliorum, cæcitatem interdum adferunt. Melius est, si nervus, tendo, arteria tota

præcisa, quam aliqua parte. Nervorum vulnera sunt periculosissima; Punctura tamen periculosior sectione. Tendinum vulnera non adeo sunt periculosa. Risus in nervorum vulneribus periculosus. Convulsio utplurimum signum in his letale. Nervo recurrente dissecto vulnere, homo quidem verba ore explicare valet, ast subsurda & suppressa voce. Nervus major præcisus membrum motu sensuque privat, idque vel gangræna vel ἀτροφίας periclitatur; vel relicta summa debilitate. *Platn.* Vulnus ex morsu hominis ita æstuose æque aliquando virulentum est ac viperæ. *Hildan.* Quod quoque interdum sine noxa. (Evolve locos de hydrophobia Cap. de Angina comprehensos.) Vulnera, ulcera, aliæ læsiones genuum periculosæ, dubiæ, difficiles sunt.

Glandularum vulnera magnam habent inflammationem ac dolorem, facileque in ulcus abeunt. Articulorum vulnera magnam habent inflammationem, dolorem & ob μελικηρὰν rebellia sunt; pessima, quæ ligamentum capsulare penetrarunt. Diu dum μελικηρα fertur, ulcus fit antiquum, callus inducitur, unde fistula. Ubi articuli vulnus sanari potuit, plerumque tamen manet ἀγκύλωσις partis, aridura. *Platn.* Periculum ea inprimis habent abdominis vulnera, quæ albam penetrant lineam. Ex vulnere in suprema ventriculi parte servari quandoque possunt exemplo cultrivororum, contra si icta fuit ima & ad pylorum,

lorum; nulla ſpes manet, aut ſi duo tergora vulnerata ſunt. *Platn.* Inteſtinorum vulnera etiam vehementiora curationem recipiunt quandoque, præcipue ſi ad peritonæum commode glutinantur; docet inter alia hernia incarcerata ſuppurata, ſphacelata, vita ſuperſtite. Inteſtinorum, ventriculi aliorumque receptaculorum vulnera ſi ſanescunt, non ita glutinantur atque alia vulnera. Namque nec oræ ita agglutinantur, ut ſe contingant & inter ſe coeant, neque vulnera ſuperincrescente carne implentur, ſed pars vulnerata jungitur aliis quæ prope ſunt, cum quibus media cicatrice concrescit. *Ac. Reg. Sc. Pariſ. Platn.* Facilius ſanescit craſſum, quam tenue.

Nonnunquam homines à natura ſervati ſunt, quibus totum inteſtinum disciſſum fuit. *Trans. Anglic. Vater.* Omne vulnus quod in pectus penetravit timendum, maxime ſclopetarium, magnum & altum, ni enim cruoris profuſio vel inflammatio necet, tabes ſtrangulat ſuccedens. Ubi pulmones exſpirant, quandoque ſine læſione illorum accidere poſſunt. Sanabiliora ſunt quæ infimo pectori ſupra diaphragma illata ſunt, quam quæ in elatiore. Si telum per utrumque pectus perrupit, vaſis majoribus percuſſis, mors in propinquo eſt. *Platn.* Turundæ ex vulnere thoracis in cavitatem delapſæ tuſſi, exemplo mirando, ejectæ ſcribuntur ab *Hildano.* In pulmonum vulnere non ſemper ore ſanguis tuſſiendo prorumpit. *Balton.*

Phthisis ex pulmone vulnerato facilis est, maxime si plagæ arctiores sint oræ vel vulnus properato occludatur. Cordis vulnera non profunda, aliquando aliquandiu trahuntur. *Bonet. Pechl.*

Sclopetorum vulnera multum habent tumorem & εκχυμωσιν, eaquepropter gangrænæ timor major est. Non raro in his post aliquot demum dies periculosissima oritur sanguinis fluxio, quod incuriosi teneant. Si post 4. d. ex improviso & sine causa nova ac ingens accedit inflammatio, vel quid in vulnere relictum est, vel nervus aut tendo læsus. *Platner.*

Τῳ Βασιλει των αιωνων, αφθαρτῳ, αορατῳ, μονῳ σοφῳ Θεῳ τιμη και δοξα εις τες αιωνας των αιωνων. Αμην.



Præ-

Præcipua Auctorum atque Scriptorum in hocce opuſculo vocatorum nomina.

Acad. Natur. Curioſ. Imperial.
Acad. Reg. Sc. Londinenſis.
Acad. Reg. Sc. Pariſina.
Alpin. de præſag. vit. & mort. ægr.
Aretæi Libri.
Aurel. de morb. acut. & chron.

Bagl. opera.
Ballon. in Hipp.
Barbett. Prax. c. not. Decker.
Bartholin. Scripta.
Beniven. de abdit. & mirand. morb. & curat. cauſis.
à Bergen Diſſ. acad.
de Berger (Chriſt. Guil.) de præſag. ex algore in acut. Comm. med.
Boerh. aph. de cog. & cur. morb. atque Prax. med.
Brendel (Jo. Gotfr.) Diſſ. acad.
à Brunn al. Brunner. (Jo. Conr.) ſcripta.
Buchner. (Andr. El.) Diſſ. acad.
Burggrav. de aëre, aqua & loc. Francof.

Camerarior. Diſp. Acad. (Eliæ) Syſtema cautel. med.
Carl. hiſtoria Medicinæ.

Celſ.

Celſ. Lib. de Medicina.
Comm. lit. Norimb.
Graton. Conſil. & epiſt.

Dethardingior. Diſſ. academ.
Dodon. med. obſ. & adnot. in Beniv.
Drawiz. Bericht vom Scharbock.
Duret. in Hipp.

Eller Med. und Chir. Anmerk.
Ettmull. opera.
Eugal. de Scorb.

Fernel. opera.
Foreſt. obſerv.

Galen. opera.

de Haller ſcripta.
Harris de morb. infant. & de lue venerea.
Hamilt. de febre miliari.
Heiſter Inſt. chir., Comp. med. pract., Diſſ. academ.
Heurn. in aph. Hipp.
Hildan. obſ. & curat.
Hippocrat. Opera.
Hoffmann. (Frid.) Opera.
Holler. de morb. intern.

Junck. Conſp. Therap. Spec. & Diſſ. acad.
Jungk. Prax. med.

Kra-

Kramer. med. castr. & de Scorb.

Lentil. scripta.
Lomm. obs. medicinal.
Lusitan. (Zacut. & Amat.) obs.

Mauchart. Diss. acad.
Meibom. (Henr.) de. abscessu int. nat. & const.
Morton. de febb. & phthisiolog.
Musgrav. de arthrit.

Nebelior. Diss. acad.

Pechlin. obs. phys. med.
Piso de morb. à seros. colluv.
Plater. Prax. & obs.
Platn. Inst. chir. rat., Diss. & Progr. acad.

Rega de Sympath. part. C. H.
Rhod. observ.
River. opera.
Ruysch. scripta.

Salzmann. (Joh.) Diss. acad.
Schelhamm. ογκολογια parva.
Schulze (Jo. Henr.) scripta.
Segner (Jo. Andr.) Diss. Gœt. de morb. ex interc. hæmorrh. potiss. ratiorib.
Sennert. Prax. med.
Stahl. (Ernest.) scripta.
Sydenham. opera.

Tulp. obſ.

Vateror. Disp. & Progr. acad.

Waldſchm. Prax. med.
Wedelior. ſcripta.
Werlhof. ſcripta.
Williſ. opera.
Wratislav. hiſt. morb.

Zvvinger. Pædoj. med.



Quæ ex Autoris absentia irrepsere σφαλματα, hæc erunt fortassean principaliora.

Pag. 38. lin. 21. lege ex scroto, (*Beniven.*) perinæo, p. 39. lin. 20. lege ossis ilii. p. 40. lin. 20. & 21. lege lente. p. 52. lin. 8. lege complicatur. p. 56. l. 15. lege juncta. lin. 23. lege exscreatione; urina p. 58. lin. 30. lege quasi tetano p. 64. lin. 5. & 6. lege morbificam p. 65. lin. 17. deleatur vel paucæ, p. 69. lin. 26. lege æque gravidis aliquando ante partum, & post eum plerumque p. 72. lin. 15. lege absentia p. 75. l. 8. lege emphysemata, quasi hydrocephalum, p. 90. lin. 12. lege febre maligni moris p. 92. lin. 6. & 10. lege αφωνια lin. 17. lege male. p. 100. lin. 31. lege laboravit. p. 129. lin. 2. lege moriuntur. Si p. 164. lin. 28. lege attendi p. 167. lin. penult. lege puellum, p. 176. lin. 17. lege redit; p. 199. lin. 7. lege pingendo, p. 200. lin. 31. lege critica, p. 218. lin. 15. & p. 219. lin. 3. lege mulieribus p. 222. lin. 1. lege Plures p. 257. lin. 8. lege Arcana p. 273. l. 30. lege quoque; urinæ p. 304. lin. 2. lege tractatu p. 315. lin. 2. lege epiploon

92
2
5 41

9. 32. 52. 52. 90

9. 30. 72. 81. 90

3

5. 76 41.

5 41

2